
ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: Palazzo Apostolico – Città del Vaticano – *Administratio:* Libreria Editrice Vaticana

ACTA FRANCISCI PP.

CONSTITUTIO APOSTOLICA

GUECKEDOUENSIS

In Guinea, dismembratis quibusdam territoriis dioecesium Kankanensis et Nzerekorensis, dioecesis Gueckedouensis conditur.

FRANCISCUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Labores et fidem et vitam amemus, quae passionibus, confessionibus, praedicationibus ostenduntur, apostolorum instar, qui praecones veritatis facti sunt, per quos gentes cognoverunt gratiam Dei, ut, qui Ecclesiae superni muneris rudimentis donati sumus, subsidia universalis salutis in fratres impendamus. Quae apostolicae missionis perpendentes, dum in his Nostrae sollicitudinis partes libenter interponimus, per quae dioecesium regimini opportune consulatur, mentem Nostram ad dilectos christifideles, qui Guineam incolunt, convertimus, postulationem novae dioecesis ibi constituendae diligenter considerantes.

Prosperis in diffundendo Evangelio caventes progressibus, suadente Dicasterio pro Evangelizatione propensoque praehabito voto omnium quorum interest, re mature perpensa, preces ad Nos admotas animarum saluti valde profuturas censuimus libentesque decrevimus excipiendas.

Proinde, Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, territorium in praesens finibus circumscriptum quattuor praefectarum vulgo *Guéckédou*, *Kissidougou*, *Kérouané* et *Macenta* dictarum, a dioecesibus Kankanensi et Nzerekorensi, ad quas hactenus pertinuit, distrahi statuimus atque ex ita distracto territorio novam dioecesim, Gueckedouensem nuncupandam, erigimus ac constituimus. Huius novae dioecesis sedem in urbe vulgo *Guéckédou* decernimus templumque ibi exstans, Deo in honorem Beatae Mariae Virginis a Rosario dicatum, ad gradum et dignitatem ecclesiae cathedralis evehimus, cunctis consentaneis concessis iuribus et privilegiis. Novam insuper dioecesim Gueckedouensem statuimus metropolitanae Ecclesiae Konakriensis suffraganeam eiusque Episcopum metropolitico iuri Archiepiscopi pro tempore eiusdem Ecclesiae metropolitanae subiectam et iurisdictioni Dicasterii pro Evangelizatione obnoxiam. Acta et documenta omnia, quae ad novam dioecesim eiusque clericos, fideles et bona temporalia forte pertineant, a Curiis Kankanensi et Nzerekorensi ad Gueckedouensem quam citius transmittantur et in apto archivo custodiantur, ad normam iuris.

Cetera vero secundum normas Codicis Iuris Canonici aliaque ecclesiasticarum legum praescripta temperentur.

Simul ac Gueckedouensis dioecesis erectio ad effectum deducta fuerit, eo ipso censeantur dioecesi illi adscripti sacerdotes, in cuius territorio ecclesiasticum officium detinent; ceteri vero sacerdotes Seminarii que tirones dioecesi illi incardinati maneant vel incardinentur, in cuius territorio legitimum habent domicilium.

Ad haec omnia perficienda Venerabilem Fratrem Mambé Ioannem Silvanum Emien, Archiepiscopum titulo Potentinum in Piceno et in Guinea Apostolicum Nuntium, deputamus vel, eo a sede absente, negotiorum Sanctae Sedis in Guinea pro eo gerentem, necessarias et opportunas iisdem tribuentes facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad Dicasterium pro Evangelizatione, cum primum fas erit, authenticum exemplar actus peractae executionis remittendi.

Hanc, denique, Constitutionem Nostram iugiter ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

Datum Romae, Laterani, die undetricesimo mensis Iunii, sollemnitatem sanctorum Petri et Pauli, apostolorum, anno Domini bismillesimo vicesimo tertio, Pontificatus Nostri undecimo.

PETRUS Card. PAROLIN
Secretarius Status

ALOISIUS ANTONIUS Card. TAGLE
*Pro-Praefectus Dicasterii
pro Evangelizatione*

Villemus Millea, *Proton. Apost.*
Caesar Burgazzi, *Proton. Apost.*

Loco ☩ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 606.471

LITTERAE APOSTOLICAE

I

*Sublimitas et miseria hominis*IV Centesima occurrente memoria
ab ortu Blasii Pascal.

Sublimitas et miseria hominis admirabile illud constituunt locum obtinens praecipuum in cogitatione ac nuntio Blasii Pascal, qui die XIX mensis Iunii anno MDCXXIII Claromonte in Francogallia mediana natus est. Inde a puero et per totam vitam veritatis fuit indagator. Cuius nempe ex usu rationis, praesertim in mathematicis, geometricis, physicis et in philosophia detexit signa. Extraordinaria ante tempus ita repperit, ut magnam sibi existimationem colligeret. At ibi non constitit. Saeculo quidem tot magnorum scientiae progressuum, quos augescens philosophicae religiosaeque dubitationis spiritus comitabatur, Blasius Pascal strenuum veri inquisitorem se ostendit, qui ut talis semper “inquietus” perstat, novis aliisque finibus plectus.

Haec ipsa tam acuta simulque opera patens ratio numquam in eo obmutescebat antiquam et usque novam sopiebat percontationem, quae in hominis anima personat: «Quid est homo, quod memor es eius, aut filius hominis, quoniam visitas eum?» (*Ps* 8, 5). Haec percontatio cuiusque hominis cordi inest insculpta, cuiusvis temporis locique, cultus, loquelae, religionis. «Quid est homo in rerum natura? – sibi quaerit Pascal – Nihil pro infinito, pro nihilo totum».¹ Eadem ibi inclusa est percontatio, in illo Psalmo, in media illa amoris inter Deum et eius populum historia in carne “Filii hominis” Iesu Christi perfecta, quem etiam derelictum dono dedit Pater, ut gloria et honore coronaret eum super opera manuum suarum (cfr v. 6). Ab hac percontatione, mathematicis et geometricis tam dissimili requisita sermone, Pascal numquam discessit.

Hic habitum agnosci posse videmur praecipuum, quem “stupentem aditum ad res” definiamus, aditum scilicet ad alias sciendi existendique partes, aditum ad alios, aditum ad societatem. Exempli gratia, primus ipse fuit,

¹ *Cogitationes*, n. 230: adhibita est editio BLAISE PASCAL, *Opere complete*, a cura di Maria Vita Romeo, Florentiae - Mediolani 2020 (*Bompiani. Il pensiero occidentale*), 2384.

qui Parisiis, anno MDCLXI, publica vehicula – “Currus a quinque nummis” vocata – instituenda curavit. Quod his ineuntibus litteris efferimus, ut instemus quod neque eius ad Christum conversio, initio potissimum sumpto ab illa «Nocte ignea» diei XXIII mensis Novembris anno MDCLIV, neque extraordinarius intellectus conatus christianae fidei defendendae eum a saeculo distraxerunt. Studiosus enim fuit quaestionum temporis sui animos maxime afficientium, sicut et rerum necessitatum omnium societatis participum, intra quam vitam degebat.

Rei patere voluit in eo, ne hora quidem morbi postremi, ab aliis non recedere. Illius temporis, cum quadragesimum ageret annum, haec verba referuntur, ubi novissimus locus reperitur evangelici eius itineris: «Si medici verum dicunt atque Deus sinit, ut ex hoc morbo me reficiam, mihi propono per reliquum vitae tempus nullum aliud habere officium, nullum aliud munus, nisi pauperum famulatum».² Movet utique animadvertere quod in postremis vitae diebus tam praeclarus cogitator, videlicet Blasius Pascal, nullam aliam viderit superiorem necessitatem quam ut vires impenderet in opera misericordiae: «Una Scripturae res obiecta est caritas».³

Laetamur itaque quod providentia, quarta centesima ab eius ortu interveniente memoria, facultatem praebeat honoris ei maxime praestandi ac simul ostendendi quae in cogitationibus suis suaque vita christifideles aetatis nostrae necnon viros feminasque bonae voluntatis huius temporis ad veram beatitudinem quaerendam concitare videntur: «Cuncti felices esse student. Nulla datur exceptio, quamvis alius alia instrumenta adhibeat. Ad hunc finem ipsi contendunt».⁴ Quattuor saeculis post eius ortum, Pascal nobis itineris manet comes, qui nos verum bonum quaerentes prosequitur aequae ac, secundum donum fidei, humilem nostram laetamque Domini, qui mortuus est et resurrexit, agnitionem.

Christi amator, qui omnibus loquitur

Omnes Blasius Pascal permovere valet potissimum quia de humana conditione mirabiliter locutus est. Fallitur tamen qui eum non respiciat, quamvis summi ingenii virum, hominum morum peritum. Scripta quae eius *Cogitatio-*

² G. PÉRIER, *Vita docti viri Pascal*, in *Œuvres complètes*, par M. Le Guern, I, Parisiis 1998 (*Bibliothèque de la Pléiade*, 34), 91.

³ B. PASCAL, *Cogitationes*, n. 301: ed. Romeo, 2422.

⁴ *Ibid.*, n. 181: ed. Romeo, 2360.

nes componunt, quarum sententiae singulares quaedam praeclarae habentur, revera intellegi non possunt, si ignoratur Iesum Christum ac Scripturam Sacram eorundem simul fontem esse et explanationis clavem. De homine ac de Deo enim loqui coepit Pascal praecipue quod certitudinem attigit «non modo nos Deum per Iesum Christum novisse, non aliter verum nos ipsos ac per Iesum Christum novisse. Vitam ac mortem non novimus, nisi per Iesum Christum. Extra Iesum Christum nescimus quid sit vita nostra, mors nostra, Deus, nos ipsi. Sine Scriptura perinde, cuius obiectum nihil aliud est quam Iesus Christus, nihil novimus et obscuritatem tantum videmus».⁵ Haec tam maxima asseveratio explanari meretur, quae ab omnibus intellegi possit neque pro mera doctrinae voce haberi Ecclesiae fidem haud communicantibus invia vel pro legitimae facultatis naturalis intellectus imminutione.

Fides, amor ac libertas

Cum christifideles simus, abscedere nos oportet a temptatione fidei nostrae argumenti instar sine controversia intentandae, quod omnibus iniungatur. Studebat sane Pascal, ut universi homines docerentur «Deum ac verum seiungi non posse».⁶ Sciebat autem actum credentis ex Dei gratia fieri posse, a libero corde recepta. Qui ex fide «Deum Abraham, Deum Isaac, Deum Iacob, non philosophorum ac sapientium»⁷ ipse convenerat, in Iesu Christo «Viam, Veritatem et Vitam» (Io 14, 6) agnoverat. Quapropter eos omnes veritatem perquirentes – cuius rei in hac vita nullus est finis – cohortamur, ut Blasio Pascal aures praebere studeant, viro intellectu mirifico, qui nullam recordari voluit extra conspectum amoris vigere veritatem: «Ipsam veritatem idolum facimus, quoniam veritas extra caritatem non est Deus, sed eiusdem imago atque idolum, quod nec amandum est nec adorandum».⁸

Nobis ita praecavet Pascal a fallacibus doctrinis, superstitionibus vel intemperantiis, quae tot nostrum pace et gaudio mansuris arcent eius qui vult nos eligere «vitam et bonum» et non «mortem et malum» (Dt 30, 15). Vitam nostram gravat quod nonnumquam, male cum videamus, malum ergo deligimus. Revera, tum modo Evangelii gaudio delectari possumus, «si Spiri-

⁵ *Ibid.*, n. 36: ed. Romeo, 2290.

⁶ *Id.*, *Colloquium cum domino de Saci da Epicteto et Montaigne*, 28: ed. Romeo, 1539.

⁷ *Id.*, *Cogitationes*, n. 757 (seu *Memoriale*): ed. Romeo, 2744.

⁸ *Ibid.*, n. 767: ed. Romeo, 2758.

tus Sanctus invadit nos omni sua virtute nosque liberat ab infirmitate nimii studii nostri, ignaviae, elationis». ⁹ Praeterea, «absque discernendi prudentia facile commutari possumus in neurospasta, illius temporis proclivitatibus mancipata». ¹⁰ Proinde, intellectus et fides viva Blasii Pascal, qui ostendere nobis voluit religionem christianam esse «venerabilem, quia hominem bene cognitum habuit» et «amandam, qui verum bonum promittit», ¹¹ subvenire nobis possunt, ut obscuritates et miserias huius mundi procedamus transeuntes.

Spiritus scientiae eximius

Cum mater eius anno MDCXXVI in caelum migravit, Blasius Pascal puer erat trium annorum. Stephanus, pater eius, clarus legis peritus, celebratus etiam fuit insignibus dotibus suis in scientiis praesertim mathematicis et geometricis. Inito consilio institutionis filiorum – Iacobae, Blasii et Gilbertae – comminus curandae, anno MDCXXXII Parisiis domicilium constituit. Blasius ingenium iamiam ostendebat eximium et conspicuum desiderium veritatis exquirendae, sicuti soror eius Gilberta narrat: «Iam a pueritia, adeo cedere aspernebat nisi solum veritati, quam ei videretur manifestam, ut rationes, quas ei alii non providerent ratas, ipse inquirebat». ¹² Pater quondam filium in quaestionibus geometricis versantem deprehendit et statim animadvertit Blasium, vix duodecim annos natum, Euclidis duo et triginta propositiones illas, quas sub aliis nominibus in libris ignorabat explanatas, plane solum demonstravisse, figuris super terra delineatis. ¹³ De eo meminit Gilberta patrem esse «ab excellentia virtuteque tanti intellectus perculsum». ¹⁴

Sequentibus annis, Blasius Pascal inaestimabile ingenium suum perfecit, cui vires suas consecravit. Inde a decimo et octavo aetatis anno maximos temporis sui eruditos frequentavit atque inventiones editionesque citius successerunt. Anno MDCXLII, dum aetatis suae vicesimum agebat annum, apparatus arithmeticum excogitavit, qui avus habendus est machinae nostrae calculatoriae. Hanc magnam vim Blasius Pascal adhibet nobis praestantiae

⁹ Adhort. ap. *Gaudete et exsultate* (19 Martii 2018), 65: AAS 110 (2018), 1129.

¹⁰ *Ibid.*, 167: AAS 110 (2018), 1158.

¹¹ B. PASCAL, *Cogitationes*, n. 46: ed. Romeo, 2294.

¹² G. PÉRIER, *Vita docti viri Pascal*, 64.

¹³ Cfr *ibid.*, 65.

¹⁴ *Ibid.*

revocandae humanae rationis, qui ad eam adhibendam vocamur, ut mundum circa nos explanet. Spiritus geometricus, qui ex hoc constat ingenio singulariter intellegendi quomodo res suis muneribus fungantur, totam vitam profuit ei, sicuti clarissimus theologus Ioannes Ursus von Balthasar disputavit: «Valet in super e subtilitate propositorum geometricorum et scientiarum naturae omnino aliam attingere subtilitatem propositorum existentiae generaliter et doctrinae christianae».¹⁵ Haec confidens exercitatio rationis naturalis, quae eum participem facit universae hominum fraternitatis veritatem perquirentium, ipsius intellectus limites ei recognoscere concessit una et Revelationis rationibus naturae modos excedentibus sese pandere secundum mentem paradoxorum, quae insigne eius philosophicum sunt et docta venustas eius *Cogitationum*: «Ecclesiae adversus abnegatores pariter arduum fuit Iesum Christum hominem esse ac Deum exhibere. Et species pariter erant ingentes».¹⁶

Philosophi

Multa scripta Blasii Pascal plerumque ad sermonem philosophicum pertinent, praesertim *Cogitationes*, quae corpus sunt fragmentorum post mortem typis datum sub specie adnotationum seu adumbrationum philosophi cuiusdam theologico propositum conciti, cuius inquisitores, haud sine varietate lectionum, conituntur restituere cohaerentiam atque ordinem genuinum. Cupidus amor Christi et servitium pauperum, quod in prooemio memoratus sum, non tantum cuiusdam hiatus in spiritu huius audacis discipuli fuerunt signum, quantum altioris perceptionis genuini intellectus Evangelii, alicuius progressus, auxiliante gratia, ad vivam veritatem Domini. Qui, supernaturali eiusdem persuasione praeditus, fidem videbat tam congruentem rationi, quam quae infinitum quantum excedat, disputationem cum ipsius fidem non communicantibus ulterius propellere voluit, quandoquidem «eam dare non possumus eius egentibus, nisi per ratiocinationem, expectantes ut Deus iisdem eam donet per intellectum cordis».¹⁷ De evangelizatione agebatur reverentia patientiaque suffulta, quam aetati nostrae decebit imitari.

Ad Blasii Pascal sermonem de Christi fide bene intellegendum, oportet ergo philosophiam eius diligenter attendere. Sapientiam admirabatur

¹⁵ Sub voce «Pascal», in *Gloria. Un'estetica teologica*. III: *Stili laicali: Dante, Giovanni della Croce, Pascal, Hamann, Solovev, Hopkins, Péguy*, Mediolani 1976 (*Già e non ancora*, 6), 169.

¹⁶ B. PASCAL, *Cogitationes*, n. 338: ed. Romeo, 2440.

¹⁷ *Ibid.*, n. 142: ed. Romeo, 2334-2336.

antiquorum philosophorum graecorum, qui compotes fuerunt simplicitate aequitate animi in suae vitae conversatione, sicuti sodales unius civitatis (πόλις): «Platonem vel Aristotelem animo concipimus magnis morosorum paludamentis indutos. Homines autem fuerunt probi et sicut ceteri, parati qui cum amicis riderent. Cum porro delectati sunt *Leges* vel *Politicam* scribendo, hoc fecerunt delectionis causa. Pars illa fuit minime philosophica ac severa eorum vitae, cum maxime philosophica simpliciter placideque fuisset vivere».¹⁸

Claritate eorumque utilitate praetermissa, Pascal horum philosophorum tamen agnovit fines: Stoicorum doctrina superbia animos inflat,¹⁹ Scepticorum desperatione.²⁰ Procul dubio, humana ratio naturae rerum est portentum, quod hominum genus inter cunctas creaturas effert, quia «Homo haud quidam calamus est, fragilissimus omnium, sed calamus est cogitans».²¹ Intellegitur itaque fines philosophorum fines simpliciter esse rationis creatae. Nam, frustra Democritus dicitabat: «De omnibus loquar»,²² cum ratio per se sola quaestiones summas atque instantissimas solvere nequeat. Nam, quid, tempore Blasii Pascal sicut et nostris diebus, est argumentum quod maxime interest nostra? Argumentum est de sortis nostrae, de vitae nostrae integro sensu, ac de spe nostra, quae ad felicitatem porrigitur, quam nefas non est existimare aeternam, sed Deo soli licet donare: «Nihil tam maximi momenti est homini quam condicio sua, nihil tam metuendum quam aeternitas».²³ Blasii Pascal *Cogitationes* meditantes, decretum hoc aliquo modo reperimus: «Res maior est forma», quia Pascal nos docet, ut abstineamus «a variis speciebus rei dissimulandae», ab «angelicis morositatibus», ab «eruditionibus sine sapientia».²⁴ Nihil perniciosius est quam cogitatio re destituta: «Quis angelus fieri vult, facit bestiam».²⁵ Et letales doctrinae, quibus in re oeconomica, sociali, anthropologica ac morali continenter laboramus, detinent asseclas suos intra receptacula persuasionis, ubi forma in locum rei succedit.

¹⁸ *Ibid.*, n. 457: ed. Romeo, 2518-2520.

¹⁹ Cfr *Id.*, *Colloquium Blasii Pascal cum domino de Saci de Epicteto et Montaigne*, 57: ed. Romeo, 1551.

²⁰ Cfr *Id.*, *Cogitationes*, n. 240: ed. Romeo, 2394-2396.

²¹ *Ibid.*, n. 231: ed. Romeo, 2392.

²² *Ibid.*, n. 230: ed. Romeo, 2386.

²³ *Ibid.*, n. 682: ed. Romeo, 2642.

²⁴ FRANCISCUS, Adhort. ap. *Evangelii gaudium* (24 Novembris 2013), 231: *AAS* 105 (2013), 1114.

²⁵ B. PASCAL, *Cogitationes*, n. 558: ed. Romeo, 2562.

De hominum statu

Doctrina Blasii Pascal, omnino paradoxis perfusa, ex tam humili quam perspicuo intuitu procedit, qui «rem ratiocinatione illustratam»²⁶ attingere studet. Primum animadvertit hominem quasi sibi ipsi extraneum esse, sublimem ac miserum. Sublimis est propter rationem suam, ob facultatem suam cupiditates dominandi, et sublimis etiam «quia se miserum confitetur».²⁷ Maxime aliter quam suis satisfacere impetibus vel potius eosdem cohibere appetit, «cum, quod est natura in animantibus, in hominibus miseriam appellemus».²⁸ Intolerabilis exstat incongruentia et inter infinitam nostram voluntatem beatitudinis experiendae ac veritatis cognoscendae et finitam nostram rationem ac corporis imbecillitatem, quae ad mortem ducit. Blasii Pascal vis enim etiam in implacabili eius rerum consideratione invenitur: «Non oportet animum praecelsum habere, ut intellegamus veras ac firmas delectationes in hoc mundo nullas esse et omnes voluptates nostras nihil aliud esse nisi vanitatem et mala nostra infinita et mortem, denique, quae nobis iugiter instat, post aliquot annis profecto necesse esse, ut horribilem necessitatem nobis imponat vel interitos vel miseros esse in aeternum. Nihil hac re certius est, nec taetrius. Audacter agamus sane: en exitus reliquus pulcherrimae vitae mundi».²⁹ Hac in infelici condicione homo plane non potest in semetipso saeptus manere, cum miseria eius atque incerta fortuna intolerandae ei sint. Opus est ei igitur animum remittere, sicuti Pascal facile agnoscit: «Hinc fit ut homines admodum clamorem frequentiamque diligant».³⁰ Nam si enim homo a sua condicione animum non avertit – scimus enim tam commode omnes animum relaxare opere voluptatibusve vel necessitudinibus cum propinquis vel amicis, sed, pro dolor, vitiis etiam, ad quae impetus quidam nos ducunt –, eius humanitas experitur «nihilum suum, alienationem suam, inopiam suam, servitatem suam, infirmitatem suam, inanitatem suam. Et ex ima eius anima [prodeunt] taedium, intemperies, tristitia, molestia, indignatio, desperatio».³¹ Oblectamentum tamen

²⁶ FRANCISCUS, Adhort. ap. *Evangelii gaudium* (24 Novembris 2013), 232: AAS 105 (2013), 1114.

²⁷ B. PASCAL, *Cogitationes*, n. 146: ed. Romeo, 2336.

²⁸ *Ibid.*, n. 149: ed. Romeo, 2336.

²⁹ *Ibid.*, n. 682: ed. Romeo, 2640.

³⁰ *Ibid.*, n. 168: ed. Romeo, 2350.

³¹ *Ibid.*, n. 515: ed. Romeo, 2550.

neque exstinguit neque replet magnam vitae et beatitudinis cupiditatem. Quod omnes vero comperimus.

Tum vero Pascal magnam coniecturam suam capit: «Quid ergo aviditas haec, quid impotentia haec nos monet, nisi quod adfuit olim in homine sincera beatitudo, cuius nunc tantum signum et fere inane vestigium ei supersunt, quae frustra ille omnibus circumstantibus rebus refercire conatur, absentia in subsidium devocans, quod a praesentibus non impetrat? Sed frustra, nam immensum hoc barathrum numquam repleri potest, nisi a re infinita atque aeterna, id est a Deo ipso».³² Si sicut «rex imperio exspoliatus»³³ est, ad maiestatem amissam recipiendam tantum propensus, cui tamen sentit se mancum, quid est ergo homo? «Quae vana imago est ergo homo? Quae novitas, quod monstrum, quae congeries, qui subiectus discrepans, quod prodigium? Omnium rerum iudex, debilis terrae vermis, custos veri, abagis et erroris receptaculum, gloria et detrectatio universi: quis hunc nodum expediet?».³⁴ Pascal, uti philosophus, bene perspicit quod «quo magis homo ratione utitur, eo magis in eo sublimitas et ignominia inveniuntur»,³⁵ quorum nulla est discrepantium coniunctio. Humana ratio, enim, ea componere non potest neque aenigma solvere.

Proinde, Pascal animadvertit, si adest Deus et divinam accepit revelationem homo – sicut aliquae religiones asseverant – et eadem revelatio verax est, ibi responsum reperiendum esse optatum ad discrepantia solvenda quae eundem hominem excruciant: «Sublimitates et miseriae hominis ita manifestae sunt, ut necesse sit veram religionem nos docere altum quoddam sive sublimitatis principium sive miseriae homini inesse. Eidem religioni praeterea explicanda sunt admirabilia haec discrepantia».³⁶ Ideo, magnis perspectis religionibus, Pascal colligit «nullam cogitationem nullumque asceticum vel mysticum inceptum viam salutis exhibere posse», nisi ex «superiore veritatis ratione gratiae in animam collustratae».³⁷ «Frustra, homines – scribit Pascal, fingens quae verus Deus sit dicturus nobis – quaeritis in vobis miseriarum vestrarum remedia. Omnes illuminatae rationes vestrae

³² *Ibid.*, n. 181: ed. Romeo, 2360.

³³ *Ibid.*, n. 148: ed. Romeo, 2336.

³⁴ *Ibid.*, n. 164: ed. Romeo, 2344.

³⁵ *Ibid.*, n. 506: ed. Romeo, 2546.

³⁶ *Ibid.*, n. 182: ed. Romeo, 2362.

³⁷ H.U. VON BALTHASAR, s.v. «Pascal», in *Gloria. Un'estetica teologica*, III, 172.

summum assequi valent, ut intellegatis vos neque veritatem neque bonum in vobis reperire posse. Quae licet polliciti vobis essent philosophi, minime tamen cesserunt. Iidem enim nesciunt sive quid sit verum bonum vestrum sive quae vestra vera condicio». ³⁸

Hic Pascal, singulari sui ingenii vi humanam condicionem, Sacram Scripturam et Ecclesiae traditionem perscrutatus, infantiae spiritus simplicitate consilium in se proponendi humilem Evangelii testem. Christifidelis est ille, qui de Iesu Christo iis loqui vult, qui callide constituunt validas deesse rationes ad veritates Christi fidei credendas. Pascal contra expertus est thesauros Revelationis non modo rationis postulatis haud obici, sed etiam inauditum deferre responsum, quod nulla philosophia ex se assequi potuisset.

Conversio: visitatio Domini

Die XXIII mensis Novembris anni MDCLIV, Pascal altissimam experientiam vixit, quae usque ad hunc diem “noctis igneae” nomine nuncupata est. Hic mysticus sane usus, qui fletus laetitiae in eo excivit, tam vehemens magnique momenti ei fuit, ut memoriam eius quadam in chartula adiecto die referret, cui *Memorialis* tribuit titulum, quae, in panno subtus tunicae eius abscondita, solummodo post eius mortem inventa est. Quamvis rei pernosci nequeat natura, quae in anima Blasii ea nocte accidit, de occursu tamen agi videtur, cuius ipse similitudinem agnovit cum illo in universa revelationis historia et salutis summo, quem habuit Moysès ante rubum ardentem (cfr *Ex* 3). Vox «ignis», ³⁹ quae Pascal capiti *Memorialis* sui imponere voluit, nos monet, ut, debitis attentis dissimilitudinibus, haec rerum cognatio inquiramus. Utriusque eventuum connexionem Pascal ipse videtur efferre, qui statim post ignis evocationem titulum, quem Dominus sibi attribuerat coram Moyse, resumpsit: «Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob» (*Ex* 3, 6.15), sane adiungens: «Non philosophorum et sapientium. Fides certa, fides certa, animi sensus, laetitia, pax. Deus Iesu Christi».

Ita est: Deus noster laetitia est, quod Blasius Pascal coram universa Ecclesia sicut et omnibus Deum quaerentibus testatur: «Deus minime est notio modo mente intellecta vel Deus cosmicus: minime quidem! Deus est Deus

³⁸ B. PASCAL, *Cogitationes*, n. 182: ed. Romeo, 2364.

³⁹ *Ibid.*, n. 757 (seu *Memoriale*): ed. Romeo, 2742.

alicuius personae, alicuius vocationis, Deus Abraham, Isaac, Iacob, Deus qui certitudo est, animi sensus, gaudium». ⁴⁰ Hic occursum, qui Blasius Pascal «sublimitatem animae humanae» confirmavit, gaudio vivo atque inexhausto eum implevit: «Gaudium, gaudium, gaudium, lacrimae laetitiae». Divinum hoc gaudium eidem confessionis et precationis locus fit: «Iesus Christus. Ego quidem ab eo discessi, ab eo effugi, eiuravi eum, cruci affixi eum. Utinam numquam ab eo discedam!». ⁴¹ Experientia amoris illius Dei personalis, Iesu Christi, qui nostram historiam participavit et iugiter vitam nostram participat, Blasium Pascal trahit in iter altae conversionis ac proinde «summae et dulcis detrectationis», ⁴² cum in caritate peragatur, veteris hominis, «qui corrumpitur secundum desideria erroris» (*Eph* 4, 22).

Sicut sanctus Ioannes Paulus II suis in magnis Litteris encyclicis de necessitudinis natura inter fidem et rationem meminerat: «Philosophi veluti Blasius Pascal» recusatione eminent cuiuslibet «insolentiae» et electione habitus pariter «humilitate» et «audacia» suffulti. ⁴³ Hi quidem experti sunt «fidem rationem a praesumptione liberare». Iam ante noctem diei xxiii mensis Novembris anni MDCLIV videlicet Blasium Pascal de existentiam Dei nullam habere dubitationem: «Scit etiam illum Deum summum bonum esse. [...] Id quo caret et quod exspectat, non est intellectus sed imperium, non veritas sed vis». ⁴⁴ Nunc quidem haec vis ei ex gratia data est: ipse certa fide ac laetitia animadvertit se a Iesu Christo attrahi: «Deum non novimus, nisi per Iesum Christum. Hoc sine mediatore omne commercium nostrum cum Deo excuditur». ⁴⁵ Invenire Iesum Christum vult Salvatorem et Liberatorem, quem indigemus, invenire: «Deus ille aliud non est quam miseriae nostrae reparator. Deum igitur bene nequimus cognoscere incognitis iniquitatibus nostris». ⁴⁶ Velut omnis vera conversio, Blasii Pascal conversio in humilitate fit, quae «a nostra solitaria conscientia et ab animo suis testimoniali» ⁴⁷ nos liberat.

⁴⁰ FRANCISCUS, *Catechesis* (3 Iunii 2020): *L'Osservatore Romano* 160/126 (4 Iunii 2020), 8.

⁴¹ B. PASCAL, *Cogitationes*, n. 757 (seu *Memoriale*): ed. Romeo, 2744.

⁴² *Ibid.*

⁴³ *Fides et ratio* (14 Septembris 1998), 76: *AAS* 91 (1999), 64.

⁴⁴ H. GOUHIER, *Blaise Pascal. Commentaires*, Parisiis 1971² (*Bibliothèque d'histoire de la philosophie*), 44-45.

⁴⁵ B. PASCAL, *Cogitationes*, n. 221: ed. Romeo, 2378.

⁴⁶ *Ibid.*

⁴⁷ FRANCISCUS, Adhort. ap. *Evangelii gaudium* (24 Novembris 2013), 8: *AAS* 105 (2013), 1022.

Immensum atque inquietum Blasii Pascal ingenium, coram Iesu Christi revelatione pace et gaudio referto, nos monet, secundum « cordis rationem », ⁴⁸ ut « his caelestibus luminibus » ⁴⁹ collustrati secure procedamus. Si enim Deus noster « Deus qui se abscondit » (cfr *Is* 45, 15) est, hoc fit quia « se abscondere voluit », ⁵⁰ ut ratio nostra, gratia illuminante, eum numquam revelare desinat. Itaque, per gratiae illuminationem eum cognoscere possumus. Opus autem est, ut hominis libertas pandatur; et Iesus nos adhuc consolatur: « Non me quaesieris, nisi me inveneris ». ⁵¹

De cordis ordine et credendi rationibus

Ad Decessoris Nostri Benedicti XVI verba, « ab initio traditio catholica fidem rationi antepositam reiecit, quae enim adversus rationem est credendi voluntas ». ⁵² Item Pascal funditus adhaeret « fidei in Deum intellectui », ⁵³ quia non solum « mens cogi non potest, ut quae novit falsa credat », ⁵⁴ sed etiam « si rationis principia evertuntur, absurda ac ridicula erit religio nostra ». ⁵⁵ Si autem fides rationi est consentanea, etiam Dei donum est, quod nemini inculcari potest: « Quod egemus amari amoris causarum composita non probatur dictione. Risum hoc movet », ⁵⁶ monet urbanitate sua Pascal, qui comparisonem inter humanum amorem instituit et modum, quo ostenditur nobis Deus: prorsus pariter et amor ille, « qui praebet se, sed minime ingerit, amor Dei se ingerit numquam ». ⁵⁷ Iesus « testimonium perhibuit veritati » (cfr *Mt* 4, 8-10; *Io* 6, 15), sed « eam tamen contradicentibus vi imponere noluit ». ⁵⁸ Proinde, « sat lucis est modo videndi appetentibus et sat obscuritatis contrariam animi indolem habentibus ». ⁵⁹

⁴⁸ B. PASCAL, *Cogitationes*, n. 329: ed. Romeo, 2438.

⁴⁹ *Ibid.*, n. 240: ed. Romeo, 2396.

⁵⁰ *Ibid.*, n. 275: ed. Romeo, 2408.

⁵¹ *Ibid.*, n. 762: ed. Romeo, 2750.

⁵² *Catechesis* (21 Novembris 2012): *L'Osservatore Romano* 152/269 (22 Novembris 2012), 8.

⁵³ *Ibid.*

⁵⁴ *Id.*, *Colloquium Blasii Pascal cum domino de Sacy de Epicteto et Montaigne*, 12: ed. Romeo, 1535.

⁵⁵ B. PASCAL, *Cogitationes*, n. 204: ed. Romeo, 2374.

⁵⁶ *Ibid.*, n. 329: ed. Romeo, 2438.

⁵⁷ FRANCISCUS, *Homilia in sollemnitatem Domini nostri Iesu Christi universorum Regis* (20 Novembris 2022): *L'Osservatore Romano* 162/266 (21 Novembris 2022), 3.

⁵⁸ CONCILIUM OECUMENICUM VATICANUM II, *Decl. Dignitatis humanae* (7 Decembris 1965), 11: *AAS* 58 (1966), 937.

⁵⁹ B. PASCAL, *Cogitationes*, n. 182: ed. Romeo, 2368.

Ad asseverandum porro accedit quod «a probatione differt fides. Illa humana est, haec autem Dei donum». ⁶⁰ Proinde, credere nequitur, «nisi Deus cor ad fidem inclinet». ⁶¹ Si ordinem superiorem, qui rationi praeest, appetit fides, hoc nullomodo vult hanc repugnare illi, sed infinite praeeminere. In scriptis ergo philosophi Pascal non invenimus imprimis rationem collustrantem fidem, sed christianum magistrum intellectus miri, qui ordinem praeclare docere valuit a Deo supra ipsam rationem donatum: «Infinitum discrimen inter corpora et spiritus imago est infinite infinitioris discriminis inter spiritum et caritatem, quae naturam superat». ⁶² Vir doctus geometriae studiosus, scientiae scilicet corporum in spatio positum, atque geometra philosophiae studiosus, scientiae scilicet spirituum in historia positum, Blasius Pascal, fidei collustratus gratia, experientiae suae universitatem plene sic exprimebat: «Ne exigua quidem cogitatio de universitate corporum germinari posset: nam fieri non potest, quia ad alium ordinem hoc pertinet. Ex universitate corporum sprituumque verae caritatis fluxus emicuit, nam fieri non potest, quia ad alium ordinem hoc pertinet, qui naturam superat». ⁶³

Neque intellectus geometricus neque philosophica ratiocinatio concedunt hominem attingere solum mundi ac sui ipsius «limpidiorem visionem». Qui in computationis minimis intenditur, in universitate minime proficit, quae «omnia principia intellegere» permittit. Hoc «intellectus perceptionis» est, cuius merita Pascal pariter extollit, quia, si verum arripere contenditur, «res videnda est extemplo atque uno subitoque conspectu». ⁶⁴ Qui intellectus perceptionis locus est a Pascal nuncupatus «cor»: «Rem non modo ratione, sed etiam corde cognoscimus. Hac tantum via prima cognoscimus principia, quibus frustra ratiocinatio, nihil sane illis communicans, conatur obstare». ⁶⁵ Divinae veritates, ergo, necnon quod Deus, qui nos creavit, amor est et Pater, Filius et Spiritus Sanctus est et incarnatus in Iesu Christo est et mortuus et pro nostra salute resurrexit, ratione demonstrari nequeunt, sed certa fide cognosci possunt atque e sensibus spiritualibus ad intellectum rationalem deinde transire, qui eas veras agnoscit et invicem explicare

⁶⁰ *Ibid.*, n. 41: ed. Romeo, 2292.

⁶¹ *Ibid.*, n. 412: ed. Romeo, 2468.

⁶² *Ibid.*, n. 339: ed. Romeo, 2440.

⁶³ *Ibid.*: ed. Romeo, 2442.

⁶⁴ *Ibid.*, n. 671: ed. Romeo, 2626.

⁶⁵ *Ibid.*, n. 142: ed. Romeo, 2334.

potest: «Propter hoc qui per cordis sensus fidem a Deo acceperunt valde beati sunt et iuste legitimeque ad credendum adducti».⁶⁶

Iesum Christum non solum ignorare, sed ignaviae vel passionum causa Evangelium attente non considerare aliquos humana natura fratres Pascal numquam perpessus est. In Iesu Christo enim eorum vita disceptatur. «Anima immortalitas ita urget nos, adeo funditus nos tangit, ut omnino insanos oporteat nos esse, qui eam exquirere neglegamus. [...]. Proinde, inter eos, qui de his non persuadentur, eos prorsus discerno qui maxima diligentia discere student ab illis qui vivunt horum immemores et securi».⁶⁷ Ipsi comperimus nos mortem saepe fugere vel continere conari, confisi «humanae finitudinis cogitationem amovere» nos posse vel «morti imperium eripere eiusque metum declinare. Christiana autem fides modus non est mortis formidinis expellendae, sed nos potius ducit ad eandem obeundam. Ianuam illam serius ocius omnes transibimus. Vera lux mortis mysterium illuminans e Christi resurrectione manat».⁶⁸ Sola gratia Dei cordi hominis concedit ad divinam cognitionem seu ad caritatem accedere. Insignis aetatis nostrae philosophi Pascal interpres de hoc scripsit: «Nullomodo christiane cogitat cogitatio, nisi ad caritatem a Christo operatam accedat».⁶⁹

Pascal, controversia et caritas

Priusquam ad finem perveniamus Blasii Pascal necessitudines cum Iansenismo oportet ponderare. Una ex sororibus eius, Iacoba, vitam religiosam apud Portum Regalem in Congregatione quadam erat ingressa, cuius theologiam doctrinam penitus Cornelius Jansen affecerat, Iansenii cognomine appellatus, qui tractatum composuerat, cui titulus *Augustinus*, anno MDCXL editum. Eius post «noctem igneam», Pascal secesserat meditaturus apud abbatiam Portus Regalis, mense Ianuario anno MDCLV. Consequentibus mensibus, magna controversia et quidem antiqua apud Sorbonam studiorum universitatem Parisiensem Iesuitas et «Iansenistas» opponebat, qui *Augustinus* conecdebantur. De Dei gratia et de necessitudine inter gratiam et humanam naturam plerumque disputabatur, potissimum de libero arbitrio. Licet ad

⁶⁶ *Ibid.*

⁶⁷ *Ibid.*, n. 682: ed. Romeo, 2640.

⁶⁸ FRANCISCUS, *Catechesis* (9 Februarii 2022): *L'Osservatore Romano* 162/32 (9 Februarii 2022), 2.

⁶⁹ J.-L. MARION, *La métaphysique et après. Essai sur l'historicité et sur les époques de la philosophie*, Parisiis 2023 (Grasset, *Essai*), 356.

Congregationem Portus Regalis non pertineret et natura sua huius illiusve partis non esset sectator – scribit enim «Equidem solus sum [...] ad Portum Regalem nequiquam pertineo»⁷⁰ –, Iansenistae officium ei defensionis suae detulerunt, praesertim propter artis eius rhetoricae celebratam virtutem. Quo munere annis MDCLVI et MDCLVII functus est, seriem quandam duodeviginti epistolarum evulgans, quae *Provinciales* nuncupantur.

Quamquam complures propositiones «iansenistae», quae dicuntur, fidem revera aversabant,⁷¹ sicuti ipse agnovit, Pascal infitiabatur tamen eas in *Augustinus* contentas esse et a membris Portus Regalis acceptas. Nonnullae nihilominus postremi Augustini asseverationes, ad praedestinationem exempli gratia attinentes, quas Iansenius subtilius adhibuerat, rectae non videntur. Intellegere necesse est, sicuti V saeculo sanctus Augustinus Pelagianis refragari voluerat, qui asseverabant hominem suis viribus et absque Dei gratia bonum operari ac salvari posse, Pascal sincere decrevisse doctrinam pelagianam vel semipelagianam oppugnare, quam a Iesuitis «molinistis» (ex nomine theologi Aloisii de Molina, anno MDC mortui, cuius auctoritatem medio saeculo XVII adhuc plane vigeat) suffultam censebat. De eius propositorum sincera integritate ei nobis est concedendum.

Hae litterae locus prorsus non sunt quaestionis iterandae. Attamen, quod aequè fuit de Pascal propositis cavendum, id adhuc nostris temporibus viget: “neopelagianismus”,⁷² ad cuius sententiam omnia pendent «ex humano conatu, qui per normas et ecclesialia instituta exprimitur»,⁷³ ex eo agnoscitur, quod «vitiat nos praesumptione salutis, quae nostris conatibus adipiscimur». ⁷⁴ Praecipue insuper edicere oportet postremam Pascal de gratia sententiam, et peculiariter de Deo qui «omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire» (*1 Tim 2, 4*), verbis plane catholicis eius sub vitae finem esse enuntiatam.⁷⁵

⁷⁰ B. PASCAL, *Epistula provincialis XVII*: ed. Romeo, 1267.

⁷¹ Cfr B. NEVEU, *L'erreur et son juge: remarques sur les censures doctrinales à l'époque moderne*, Neapoli 1993 (*Istituto Italiano per gli Studi filosofici. Serie Studi*, 12).

⁷² Cfr CONGREGATIO PRO DOCTRINA FIDELI, *Epistula Placuit Deo* (22 Februarii 2018): AAS 110 (2018), 427-436; FRANCISCUS, *Adhort. ap. Gaudete et exsultate* (19 Martii 2018), 57-59: AAS 110 (2018), 1127-1128.

⁷³ *Ibid.*, 59: AAS 110 (2018), 1128.

⁷⁴ Litt. ap. *Desiderio desideravi* (29 Iunii 2022), 20: *L'Osservatore Romano* 162/147 (30 Iunii 2022), 9.

⁷⁵ Cfr *Cogitationes*, n. 771: ed. Romeo, 2762; cfr B. PASCAL, *Œuvres complètes. Présentation et notes* de L. Lafuma, Parisiis 1963 (*L'intégrale*), n. 931, p. 623, ubi, ineunte cogitatione, aliquo modo expuncta inveniuntur verba: «Amo omnes homines quasi fratres mei essent, quia omnes redempti sunt».

Quomodo has litteras incohantes diximus, Blasius Pascal, sub eius brevis vitae, at admodum divitis ac fecundae finem, primum locum fratribus diligendis destinavit. Ipse sentiebat se atque putabat unius corporis membrum, quandoquidem «Deus postquam caelum et terram creaverat, quae naturae suae felicitatem minime animadvertunt, creaturas facere voluit, quae eum cognoscere possent atque membrorum cogitantium esse corpus».⁷⁶ Pascal, sicut fidelis laicus, Evangelii gaudium gustavit, cuius gratia Spiritus «omnia hominis adiuncta» fecundare ac sanare vult atque «universos homines in Regni mensam» coadunare.⁷⁷ Cum anno MDCLIX miram *Precazionem ad sanum morborum usum a Deo petendum* composuit, Pascal vir reperitur pacatus, qui controversias ipsamque apologeticum sermonem amplius non persequitur. Graviter aegrotans necnon iamiam moriturus, sacram Communionem postulavit, quod autem factum non est extemplo. A sorore sua idcirco quaesivit: «Quandoquidem cum Capite [scilicet: Iesu Christo] communicare non possum, cum membris quidem velim communicare».⁷⁸ Et «magnopere mori ille optabat in pauperum turba».⁷⁹ «Simplicitate infantis obit»:⁸⁰ sic de eo dicitur paulo ante ultimum eius spiritum, die XIX mensis Augusti anno MDCLXII. Sacramentis receptis, haec novissima fuerunt eius verba: «Ne umquam me deserat Deus».⁸¹

Utinam lucida eius opera aequae ac eius vitae exemplum, in Iesu Christo funditus baptizatae, nos adiuvent ad veritatis, conversionis caritatisque iter usque ad finem peragrandum. Hominis vita enim brevissima est: «Aeterna in laetitia pro uno probationis die in terra».⁸²

Datum Romae, Laterani, die XIX mensis Iunii, anno MMXXIII, Pontificatus Nostrī undecimo.

FRANCISCUS PP.

⁷⁶ B. PASCAL, *Cogitationes*, n. 392: ed. Romeo, 2462.

⁷⁷ FRANCISCUS, Adhort. ap. *Evangelii gaudium* (24 Novembris 2013), 273: *AAS* 105 (2013), 1130.

⁷⁸ G. PÉRIER, *Vita docti viri Pascal*, 92-93.

⁷⁹ *Ibid.*, 93.

⁸⁰ *Ibid.*, 90.

⁸¹ *Ibid.*, 94.

⁸² B. PASCAL, *Cogitationes*, ed. Lafuma, n. 913, p. 618 (e fragmentis in copiis non recensitis).

II

Venerabili Servo Dei Rutilio Grande García, presbytero, et II sociis, martyribus, Beatorum honores decernuntur.

FRANCISCUS PP.

Ad perpetuam rei memoriam. — «In caritatis ratione iustitia abesse non potest, vera pax et vera caritas super iniustitiae, violentiae et fraudium fundamentum exsistere non possunt» (Sanctus Ansgarius Arnolfus Romero Galdámez).

Persuasissimus erat Venerabilis Servus Dei Rutilius Grande García de Evangelii nuntiandi necessitate in rurali societate Salvatoriana multis iniustis vulnerata. Nam pro eiusdem conversione in Domini voluntatem atque pro Ecclesia veluti vero Dei populo aedificanda vitam profudit, vitales christianas communitates promovens ac formans necnon christifideles laicos adhortans ut in pastoralis navitate actuosi essent. Ob hanc fervidam apostolicam actuositatem una cum duobus christifidelibus laicis crudeliter est occisus.

Hi martyres, qui difficilibus temporibus in fide pro iustitia, caritate et fraternitate totam vitam consumpserunt, in Salvatoria in loco Aguilares nuncupato die XII mensis Martii anno MCMLXXVII sunt interfecti. Hi sunt intrepidi Christi testes:

I. Pater RUTILIUS GRANDE GARCÍA e Societate Iesu. Natus est die V mensis Iulii anno MCMXXVIII in pago Villa de El Paisnal in Salvatoria. Seminarium dioecesanum ingressus est anno MCMXLI atque quattuor post annos in Societatem Iesu est receptus. Expleto novitiatu Caracis in Venetiola, die XXIV mensis Septembris anno MCMXLVII religiosam professionem emisit. Philosophicis theologicisque curriculum perfectis in Hispania, ibidem in pago Oña die XXX mensis Iulii anno MCMLIX presbyter est ordinatus atque in Belgio formationem prosecutus est. Deinde, in patriam reversus, in Seminario "San José de la Montaña" nuncupato praefectus ac pastoralis theologiae professor est nominatus. Efficienter necnon vi creatrici hoc munus explevit. Cum ipse pastoralis operositatis exemplum esset, providit ut in paroecias ad populi apostolatam seminarii tirones mitterentur. Optimum educatorem eum existimabant seminarii alumni, dum Venerabilis Dei Servus se praebebat beni-

gnum simulque in sacerdotali ministerio severum. Aliquantum in Aequatoria moratus, anno MCMLXXII curio paroeciae in loco Aguilares est nominatus. Ibi fidelibus sibi commissis totum se dedit, maxime pauperibus et a vita sociali exclusis, sine ulla dubitatione in eos conculcationes a militibus potenti- busque exercitas damnans. Ad mentem Concilii Oecumenici Vaticani II et Secundae Conferentiae Generalis Americae Latinae Episcoporum Metellini in Columbia anno MCMLXVIII expletae, in vita paroeciali, in celebrationibus liturgicis ac in sociali promotione christifidelium laicorum studium excitavit. Quod aliis praecipiebat Venerabilis Servus Dei pater Rutilius consequenter effeciebat. Sacra contione insignis, homiliis nationis principes hortabatur ut “oculis Christi” iniusta evellenda viderent. Tempore in Ecclesiam vexatio- num, sermo habitus ad populum in loco Apopa die XIII mensis Februarii anno MCMLXXVII probabiliter in illis quibus prophetica Venerabilis Servi Dei actio missa erat eius occisionis consilium suscitavit. Die XII mensis Martii eodem anno locum El Paisnal adiit, ut inter novendiale sacrum in festum patronale sancti Ioseph celebrationi eucharisticae praesideret. In itinere autocineto a loco Aguilares Servi Dei Emmanuel Solórzano, iuvenis Nelsonius Rutilius Lemus ac tres pueri ipsi comitabantur. In media via a viris armatis autocinetum plumbis est caesum. Statim mortui sunt tres Venerabiles Servi Dei, incolumes vero evaserunt tres pueri. Sanctus Ansgarius Arnolfus Romero Galdámez, archiepiscopus Sancti Salvatoris in America, sui amici Rutilii Grande García occisione vere conturbatus, in ecclesia cathedrali missae exequiali praesedit.

2. EMMANUEL SOLÓRZANO. Natus anno MCMV, a loco Suchitoto erat oriun- dus, in Salvatoria, ibique uxorem duxit, quae ei decem filios peperit. Operis causa migravit in urbem Aguilares, ubi in emendis vendendisque seminibus ac animalibus operabatur. Bonitatis honestatisque causa pluribus carus, in paroeciali communitate erat actuosissimus, maxime ut evangelizator.

3. NELSONIUS RUTILIUS LEMUS. Natus in loco El Paisnal die X mensis No- vembris anno MCMLX, primus ex duodecim fratribus, in pastorali navitate co- mitari solebat patrem Rutilium, cui eius familia dilecta erat. Dynamicus et amabilis iuvenis, libenter magna officii conscientia operam suam consocia- bat. Adulescens vix sedecim annorum occisus est una cum patre Rutilio et Emmanuele Solórzano.

In odium fidei Venerabilium Dei Servorum occisio evenit. Nam in chri- stianos vexationes, maxime in sacerdotes religiososque, paene cotidianae

erant. Sine dubio ex his tribus martyribus eminent pater Rutilius. Ipse manifeste pauperum illorumque "campesinos" nuncupatorum partes amplexus est, id est eorum qui, ad servitutem reducti, a gubernantibus magis opprimebantur. Evertentes multae eius homiliae existimabantur, quippe quae ad humanam christianamque infimorum promotionem spectarent. Venerabiles Servi Dei Emmanuel Solórzano ac Nelsonius Rutilius Lemus veluti patris Rutilii cooperatores sunt occisi. Ergo eorum mors fortuita non fuit. Patet in insidiarum dynamica, turmis armatis militiae similibus solita, occisores et in duos christifideles laicos conspirare. Regiminis adversariorum partibus non favebant Venerabiles Servi Dei nec fraudolentum bellum suadebant. Plumbis percussi, statim animam efflaverunt. Ex apostolatu periculi vitae conscius, pater Rutilius Grande García saepe minis vexabatur et etiam paucis diebus ante mortem. In fidei testimonio tamen perseveravit, repulsis cum potentibus pactionibus necnon clamoribus ac provocationibus. Duos christifideles laicos, lateri patris Rutilii semper adhaerentes, duxit eadem ratio. Ipsi se comitem praebere solebat Emmanuel Solórzano ut eum ab aliqua aggressionem defenderet. Animi serenitatem, fortitudinem ac in Providentiam fidem patris Rutilii declarat concors testium depositio. Iisdem periculis se obicientes, martyrium acceperunt patris Rutilii cooperatores Venerabiles Servi Dei Emmanuel ac Nelsonius. Statim a populo pater Rutilius et duo christifideles laici martyres sunt existimati.

Fama martyrii horum Servorum Dei magis magisque diffusa est in ecclesiali communitate. Quapropter a die VIII mensis Ianuarii usque ad diem XVI mensis Augusti anno MMXVI apud curiam ecclesiasticam archidioecesis Sancti Salvatoris in America Inquisitio dioecesana peracta est, ac proinde altera suppletiva celebrata est a die XVII mensis Martii ad diem VI mensis Iunii anno MMXVII. Harum Inquisitionum iuridicam validitatem Congregatio de Causis Sanctorum per decretum agnovit die II mensis Martii anno MMXVIII. Positione parata, sueto more disceptatum est an mors horum Servorum Dei verum esset martyrium. In Congressu peculiari die XIX mensis Septembris anno MMXIX Consultores Theologi favens dederunt suffragium. Die XVIII mensis Februarii anno MMXX in Sessione Ordinaria Patres Cardinales et Episcopi agnoverunt hos Servos Dei mortem passos fuisse propter fidelitatem in Christum et Ecclesiam. Demum Nos Ipsi die XXI mensis Februarii anno MMXX facultatem fecimus ut Congregatio de Causis Sanctorum Decretum de martyrio promulgaret. Statuimus etiam ut sollemnis ritus beatificationis

in urbe Sancti Salvatoris in America in Salvatoria die XXII mensis Ianuarii anno MMXXII celebraretur.

Hodie igitur in urbe Sancti Salvatoris in America de mandato Nostro Venerabilis Frater Noster Gregorius S.R.E. Cardinalis Rosa Chávez, Episcopus Auxiliaris archidioecesis Sancti Salvatoris in America, textum Litterarum Apostolicarum legit, quibus Nos Venerabiles Servos Dei Rutilium Grande García, presbyterum, Emmanuelem Solórzano et Nelsonium Rutilium Lemus, christifideles laicos, necnon Cosmam Spessotto, presbyterum, martyres, in Beatorum numerum adscribimus:

Nos, vota Fratrum Nostrorum Iosephi Aloisii Escobar Alas, Archiepiscopi Sancti Salvatoris in America, atque Eliae Samuelis Bolaños Avelar, S.D.B., Episcopi Zacatecolucani, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus, ut Venerabiles Servi Dei Rutilius Grande García, presbyter e Societate Iesu, Emmanuel Solórzano et Nelsonius Rutilius Lemus, christifideles laici, necnon Cosmas Spessotto (in saeculo: Sanctes), presbyter ex Ordine Fratrum Minorum, martyres, Regni Dei iustitiae, amoris et pacis usque ad effusionem sanguinis testes ardentis, Beatorum nomine in posterum appellentur atque illi die duodecima mensis Martii, hic die decima mensis Iunii, quotannis in locis et modis iure statutis celebrari possint. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Quod autem decrevimus, volumus et nunc et in posterum tempus vim habere, contrariis rebus quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, Laterani, sub anulo Piscatoris, die XXII mensis Ianuarii, anno MMXXII, Pontificatus Nostri nono.

De mandato Summi Pontificis

PETRUS Card. PAROLIN

Secretarius Status

Loco ☉ Plumbi

In Secret. Status tab., n. 569.572

III

9. La nostra attenzione verso i poveri sia sempre segnata dal realismo evangelico. La condivisione deve corrispondere alle necessità concrete dell’altro, non a liberarmi del mio superfluo. Anche qui ci vuole discernimento, sotto la guida dello Spirito Santo, per riconoscere le vere esigenze dei fratelli e non le nostre aspirazioni. Ciò di cui sicuramente hanno urgente bisogno è la nostra umanità, il nostro cuore aperto all’amore. Non dimentichiamo: «Siamo chiamati a scoprire Cristo in loro, a prestare ad essi la nostra voce nelle loro cause, ma anche ad essere loro amici, ad ascoltarli, a comprenderli e ad accogliere la misteriosa sapienza che Dio vuole comunicarci attraverso di loro» (*Evangelii gaudium*, 198). La fede ci insegna che ogni povero è figlio di Dio e che in lui o in lei è presente Cristo: «Tutto quello che avete fatto a uno solo di questi miei fratelli più piccoli, l’avete fatto a me» (*Mt 25, 40*).

10. Quest’anno ricorre il 150° anniversario della nascita di santa Teresa di Gesù Bambino. In una pagina della sua *Storia di un’anima* scrive così: «Ora capisco che la carità perfetta consiste nel sopportare i difetti altrui, non stupirsi assolutamente delle loro debolezze, edificarsi nei minimi atti di virtù che vediamo praticare, ma soprattutto ho capito che la carità non deve restare chiusa in fondo al cuore: “Nessuno, ha detto Gesù, accende una fiaccola per metterla sotto il moggio ma la si mette sul candeliere, affinché

illumini *tutti* quelli che sono nella casa”. Mi sembra che questa fiaccola rappresenti la carità che deve illuminare, rallegrare non solo coloro che sono a me più cari, ma *tutti* coloro che sono nella casa, senza eccettuare nessuno» (Ms C, 12r: *Opere complete*, Roma 1997, 247).

In questa casa che è il mondo, tutti hanno diritto a essere illuminati dalla carità, nessuno può esserne privato. La tenacia dell’amore di Santa Teresina possa ispirare i nostri cuori in questa Giornata Mondiale, ci aiuti a “non distogliere lo sguardo dal povero” e a mantenerlo sempre fisso sul volto umano e divino del Signore Gesù Cristo.

Roma, San Giovanni in Laterano, 13 giugno 2023, Memoria di Sant’Antonio di Padova, patrono dei poveri.

FRANCESCO

IV

Ad participes Occursus cum institutis et ordinationibus pro Ecclesia in America Latina adiuvanda (Civitas Vaticana, 22-23 Iunii 2023).

*Querido Mons. Robert Prevost,
Presidente de la Pontificia Comisión para América Latina (CAL),
queridos responsables de instituciones y organismos de ayuda
a la Iglesia de América Latina:*

Agradezco su presencia y el que hayan decidido reunirse en la Santa Sede por invitación de esta Pontificia Comisión.

La reciente promulgación de la Const. ap. *Praedicate Evangelium* implica un proceso de conversión misionera y sinodal de todos los que trabajamos en el gobierno de la Iglesia universal. Sin conversión de corazón, las reformas se quedan en un ámbito meramente administrativo o procedimental. Todos necesitamos un cambio de vida para que la Iglesia pueda mostrar nítidamente el rostro genuino de Jesucristo. Precisamente por ello, la reforma de la Curia Romana busca «armonizar mejor el ejercicio del actual servicio de la Curia con el camino de evangelización que la Iglesia, especialmente en este tiempo, está experimentando» (Const. ap. *Praedicate Evangelium*, 3).

Es en este contexto que, luego de escuchar diversas opiniones, discerní y decidí que la intuición pastoral y visionaria del Papa Pío XII al momento de crear la CAL en el año 1958, debería mantenerse y madurar en el contexto general de renovación de la Curia y de la Iglesia en general. Poco a poco, su misión se ha ido afinando, añadiendo a cada paso algunos matices y acentos (cf. San Juan Pablo II, Carta ap. *M.p. Decessores nostri*; Const. ap. *Pastor Bonus*). En la actualidad, la CAL «tiene por misión ocuparse del estudio de las cuestiones que se refieren a la vida y al desarrollo de sus Iglesias particulares, estando a disposición de los dicasterios interesados en razón de su competencia, y de aconsejarlas y ayudarlas con recursos económicos [...]. También le corresponde favorecer las relaciones entre las instituciones eclesiales internacionales y nacionales, que trabajan para las regiones de América Latina, y las instituciones curiales» (Const. ap. *Praedicate Evangelium*, 111). De esta manera, la CAL está llamada a ser un servicio, una “*diakonía*”, que muestre el afecto y atención del Papa, que inspire a la Iglesia en la región y que además promueva la sinergia interdicasterial de

la Curia Romana en materia de asuntos latinoamericanos (cf. *Videomensaje con motivo de la Asamblea Plenaria de la CAL, 24-27 mayo 2022*).

Una de las facultades que la CAL posee es la de apoyar económicamente algunos proyectos evangelizadores, atender situaciones de emergencia y promover algunas actividades que resulten significativas para la Iglesia en el área de su competencia. En ocasiones, la CAL ha contado con la *colaboración* de algunas instituciones de ayuda para atender desafíos particulares, especialmente urgentes. Agradezco esta voluntad de cooperación. Sin embargo, me atrevo a soñar con una “nueva imaginación de la caridad”, como dijo san Juan Pablo II, más amplia e incisiva (cf. Carta ap. *Novo millennio ineunte*, 50).

Permítanme detenerme en este punto. Cada una de sus instituciones posee su propia naturaleza y misión. Sin embargo, todas participan de una identidad católica que debe hacer de su trabajo algo distinto a cualquier organización de ayuda puramente secular. Dicho de otro modo, tenemos que redescubrir cada día, con asombro y gratitud, que la fe cristiana es la certeza de la amistad de un Dios que nos “primerea”, que nos educa y que de manera cercana nos acompaña constantemente. Por ello, *lo más específico* de todas las instituciones de ayuda de la Iglesia no es la eficiencia administrativa de su operación –que esperamos sea muy buena–, menos aún el simple esfuerzo humanitario que brota de un corazón generoso. Lo verdaderamente original de nuestra ayuda es la *caridad de Jesucristo* que nos apremia, es ese amor que nos precede y nos invita a confesar a Dios Padre, principio de todo bien; a Jesucristo, nuestro Hermano, que nos ha redimido; al Espíritu Santo que guía a la Iglesia, crea comunión y orienta a la humanidad hacia su plenitud (cf. *2 Co 5, 13-20*).

Si lo “esencial cristiano” lo damos por supuesto, tarde o temprano se vuelve un mero recurso retórico y finalmente se olvida (cf. R. Guardini, *La esencia del cristianismo*). Si lo “esencial cristiano” no está presente, sólo queda el frío pragmatismo que termina asfixiando a las instituciones eclesiales y a sus miembros. San Pablo, por ejemplo, se sabía un hombre erudito, competente y eficiente. Sin embargo, fue «alcanzado por Cristo» (*Flp 3, 12*) y de la contemplación de Aquel que “le amó y se entregó por Él” (cf. *Ga 2, 20*) cobra todo su verdadero sentido la expresión «el amor de Cristo nos apremia» (*2 Co 5, 14*). El Apóstol descubre con asombro que su vida ya no puede seguir siendo la misma. Luego del encuentro personal que ha tenido

en el camino a Damasco, todo se torna una prolongada respuesta al amor de Cristo, que se vuelve en él energía, valentía y heroísmo. Verdaderamente el Apóstol de los gentiles se siente urgido por ese Amor, llegando a decir: «¡Ay de mí si no predicara el Evangelio!» (1 Co 9, 16).

América Latina necesita ayuda solidaria. Ayuda para evangelizar las periferias geográficas y existenciales. Ayuda para atender las necesidades de los más pobres y excluidos. Sin embargo, es importante que todas estas ayudas superen las fáciles tentaciones voluntaristas y pelagianas (cf. Cong. para la Doctrina de la Fe, Carta *Placuit Deo*, 1 marzo 2018). Si así sucede, confío en que habrá un fruto sobreabundante: la cooperación fraterna y sinérgica entre todas las instituciones y agencias católicas de ayuda, que sabiéndose enviadas y vitalizadas por *la misma fuente*, encontrarán caminos de complementariedad y colaboración de todos con todos.

Que la Santísima Virgen de Guadalupe, Emperatriz de todos los pueblos del continente americano, interceda por ustedes y los anime a soñar con nuevas formas de presencia, servicio y acción caritativa en auténtica clave cristiana.

Y, por favor, no se olviden de rezar por mí.

Fraternalmente,

FRANCISCO

Roma, San Juan de Letrán, 21 de junio de 2023

V

Ad participes XLIII Sessionis Conferentiae FAO.

*Señora Presidenta,
señor Director General de la FAO,
ilustres señoras y señores:*

Deseo saludar cordialmente a todos los participantes en el cuadragésimo tercer período de sesiones de esta Conferencia, venidos a Roma de los cuatro puntos cardinales. Saludo a la Presidenta de esta Asamblea, señora Marie-Claude Bibeau, Ministra de Agricultura y Agroalimentación de Canadá, y al Director General de la FAO, señor Qu Dongyu, a quien felicito por haber sido elegido para un segundo mandato al frente de esta Organización, alentándole al mismo tiempo a continuar su labor, en un momento en el que es ineludible una acción decidida y competente para erradicar la plaga del hambre en el mundo, que avanza en lugar de retroceder.

Millones de personas siguen padeciendo la miseria y la malnutrición en el mundo, debido a conflictos armados, así como al cambio climático y los desastres naturales resultantes. Los desplazamientos en masa, sumados a los otros efectos de las tensiones políticas, económicas y militares a escala planetaria, debilitan los esfuerzos que se realizan para garantizar una mejora de las condiciones de vida de las personas en razón de su dignidad intrínseca. Vale la pena repetirlo una y otra vez: ¡la pobreza, las desigualdades, la falta de acceso a recursos básicos como el alimento, el agua potable, la sanidad, la educación, la vivienda, son una grave afrenta a la dignidad humana!

En nuestros días son muchos los expertos que afirman que el objetivo del *Hambre Cero* no se logrará en el plazo fijado por la comunidad internacional. Pero permítanme decir que la incapacidad para cumplir las responsabilidades comunes no debe llevarnos a convertir las intenciones iniciales en nuevos programas revisados que, en lugar de beneficiar a las personas respondiendo a sus necesidades reales, no las tienen en cuenta. Por el contrario, debemos ser muy cuidadosos y respetuosos con las comunidades locales, con la diversidad cultural y las especificidades tradicionales, que no pueden alterarse ni destruirse en nombre de una idea miope de progreso que, en realidad, corre el riesgo de convertirse en sinónimo de “colonización

ideológica”. Por eso, y no me canso de subrayarlo, las intervenciones y los proyectos deben planificarse y ejecutarse saliendo al encuentro del clamor de las personas y sus comunidades; no pueden ser impuestos desde arriba o desde instancias que solamente buscan su propio interés o lucro.

El reto al que nos enfrentamos es la acción conjunta y colaborativa de la entera familia de las naciones. No puede haber lugar para el conflicto o la oposición, cuando los enormes desafíos vigentes requieren un enfoque holístico y multilateral. Por ello, la FAO y las demás organizaciones internacionales únicamente podrán cumplir su mandato y coordinar medidas preventivas e incisivas en beneficio de todos, especialmente de los más pobres, gracias a una sinergia leal y pensada de modo consensuado y con altura de miras por parte de todos los actores interesados. Los gobiernos, las empresas, el mundo académico, las instituciones internacionales, la sociedad civil y los individuos deben hacer un esfuerzo conjunto, dejando a un lado lógicas mezquinas y visiones sesgadas, para que todos salgan beneficiados y nadie quede postergado.

La Santa Sede, por su parte, continuará ofreciendo su contribución en favor del bien común, brindando la experiencia y el quehacer de las instituciones vinculadas a la Iglesia católica para que en nuestro mundo nadie carezca del pan de cada día y se otorgue a nuestro planeta la protección que requiere, de modo que vuelva a ser el hermoso jardín que salió de las manos del Creador para deleite del ser humano. Que Dios Todopoderoso bendiga copiosamente sus trabajos y esfuerzos, en aras del auténtico progreso de toda la familia humana.

Vaticano, 1 de julio de 2023

FRANCISCO

ACTA CONGREGATIONUM

CONGREGATIO DE CAUSIS SANCTORUM

PLACENTINA IN HISPANIA

Beatificationis et Canonizationis Servae Dei Aurorae Calvo Hernández-Agero Christifidelis laicae (1901-1933)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Iesus de sua reali praesentia in Eucharistia quam celerrime me consciam reddidit atque haec ipsa postea mea dilectissima fuit devotio ».

Servae Dei Aurorae Calvo Hernández-Agero anima veram eucharisticam coluit spiritualitatem, quae eius christianarum virtutum testimonium continenter descripsit. Vita cotidiana eius se inter domestica opera facienda volvit, paroecialia gessit incepta, egenos, in primis mulieres ac pueros, visitans et adiuvans, necnon derelicta curans Tabernacula.

Serva Dei orta est die 9 mensis Decembris anno 1901 in loco v.d. *Béjar*, in dioecesi Placentina in Hispania, in quadam penitus christiana familia. Septem paenultima liberorum, patre orbata est quattuor annorum aetate ac eius, una cum matre, maior natu soror, quae inter Sorores Sacrae Familiae in eodem loco v.d. *Béjar* dein ingressa est, curam de ea gessit. Ineunte adolescentia, se a lascivo leviculoque divitissimorum illius temporis ordinum vivendi modo vehementer attrahi percepit, at posthac habitum suum radicitus mutavit, precationi, paenitentiae et apostolatui se tradere praeoptando. Cum fratri suum patefecisset Deo quodam in Carmelitarum Discalceatarum monasterio se consecrandi propositum ac pariter ipse se Societatem Iesu ingredi velle dixisset, opus discernere fuit quis ad seniores matrem adiuvandam esset permansurus. Utriusque autem consilio, Servam Dei eam curaturam esse statuerunt, quae vero suis filiae officiis oboedientiae et in matrem devotionis fuit exemplum.

Anno 1919 Serva Dei Placentiam cum matre se contulit et apud fratrem, in Seminario interea nominatum magistrum, domicilium constituit. Multos animi corporisque passa est dolores, sed doctrinam pueris docendam ac pietatis operum exercitium numquam neglexit. Sodalitati “Mariarum Tabernaculorum” (vulgo *Marías de los Sagrarios*) nomen dedit, cuius animatrix sedula facta est et praesidis vicaria quoque. Mense Iunio anno 1925, suo spirituali moderatore exhortante, diarium manu sua scribere incepit, quod usque ad duos menses ante mortem agere perrexit. Quodque vero DCLXXXIX paginis constat.

In Servae Dei necessitudine cum Christo, locum principem Eucharistia obtinuit, sicut ipsa suo spirituali moderatori concedidit. Qui dixit Auroram praecellentium altissimarumque virtutum exemplum fuisse et modum, atque in ea fidem, spem, caritatem, Christi proximique dilectionem, patientiam, contemptionem sui, zelum in gloriam Dei et proximi bonum quodam renidente lumine praefulgere. Ipsa, quae super omnia Deum diligebat, pauperioribus adiuvandis opera alacriter egit. Pro matribus earumque frequentium familiarum pueris vestimenta conficiebat. Summa caritate, pro peccatoribus orabat. Die 8 mensis Decembris anno 1925 perfectae castitatis votum emisit. Christiana fortitudine et temperantia infirmitates toleravit, quas nemo medicus allevare quivit.

Defessa ac aegrotans, lecto affixa est vergente circiter mense Octobri anno 1933. Parochus porro extremae Servae Dei administravit Sacramenta. Quae autem die 22 mensis Novembris eiusdem anni, post ultimum acerbissimum vitae discrimen, duorum et triginta annorum aetate obiit. Multi ad exequias eius concurrerunt ac, circumdantem eam propter sanctitatis famam, exanime corpus tectum est floribus. Quod postea humatum est in coemeterio communi, tamquam ipsa petiverat.

Eadem illa sanctitatis fama, Inquisitio dioecesana apud Curiam ecclesiasticam Placentinam in Hispania instructa est die 9 mensis Octobris anno 1959. Sessio conclusiva dein habita est die 23 mensis Septembris anno 1990. Iuridica Inquisitionis validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum agnita est per decretum diei 1 mensis Iunii anno 1994. Positione exarata, inde disceptatum est, usitatum secundum iter, an Serva Dei christianas virtutes heroico in gradu exercuisset. Die 22 mensis Octobris anno 2020 Consultores Theologi faustum produxerunt votum. Patres Cardinales et Episcopi, Ordinaria diei 15 mensis Martii anno 2022 Sessione occurrente,

Servam Dei professi sunt heroum in modum theologales, cardinales iisque adnexas excoluisse virtutes.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Fortitudine et Temperantia iisque adnexis in gradu heroico Servae Dei Aurorae Calvo Hernández-Agero, Christifidelis laicae, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 9 mensis Aprilis a. D. 2022.

MARCELLUS Card. SEMERARO
Praefectus

L. ☧ S.

☧ FABIVS FABENE
Archiep. tit. Faliscodunensis, *a Secretis*

CRACOVIENSIS

**Beatificationis et Canonizationis Servae Dei Rosaliae Celak Christifidelis laicae
(1901-1944)****DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS**

«Dominus Iesus animam meam, ut nihil viderem praeter Eum vel sentirem, tam vehementer cepit».

Sic Serva Dei Rosalia Celak, in scriptis, suam vocationem narravit. Nam ipsa intellexit ut, tantum dies vitae, amores cordis et operis labores caritate in Deum et in proximum cum impenderet, illam perfectionem esset adeptura, quam animus eius, inquietus sed spe plenus, desiderabat.

Serva Dei in Polonia, in loco v.d. *Jachówka*, nata est die 19 mensis Septembris anno 1901. Familia eius una quoque dominica Missae intererat ac quosdam libros religiosos vel commentarios catholicos legere solebat. Anno 1914 Serva Dei litterarum ludi sexennium perfecit et postea, causa exardescentis primi totius mundi belli necnon propter familiae inopiam, studia pergere nequivit. Ergo laboris auxilio parentes in re rustica adiuvit necnon suos septem fratres sororesque, omnes minimos natu, curavit. Anno 1916 ignoto morbo correpta est, a quo extremo die cuiusdam novenae peractae ad ipsam sanationem, Virgine Maria intercedente, impetrandam, est recreata. Paulo post Confirmationem susceptam, in ecclesia paroeciali vici v.d. *Bienkówka* Ecclesia sua sponte castitatis votum privatim emisit. Angorum anni dolorumque acriorum insecuti sunt, quasi illa “obscura nox”, de qua spirituales locuti sunt magistri.

Die 27 mensis Augusti anno 1924 Cracoviam petivit ac veluti famula domicilium in cuiusdam senis mulieris domo sese collocavit. Sequenti anno opus infirmorum ministrae in Sancti Lazari valetudinario facere incepit, dein in parte ad pellis veneriosque morbos curandos adhibita est. Subitanea infirmitas quoddam breve eius vitae religiosae spatium intermisit, quod Clarissarum in Monasterio inchoavit. Inde in valetudinarium reversa, eadem in parte opus suum resumpsit. Suae professionis institutionem coluit, alacritate adeo sese dans studio, ita ut ut anno 1933 verae aegrotorum ministrae diploma adipisceretur. Eam vere omnes valde existimaverunt, cum non de corpore tantum curam adhiberet, sed etiam de aegrotantium anima.

Viginti annis, quibus illa in valetudinarii parte, a meretricibus ac improbis hominibus praesertim frequentata, opus praestitit, nemo mortuus est nisi Deo reconciliatus esset.

Cum iuvenis esset, iam ipsa in valetudinario graviorem propter morbum recepta est. Sacramentis susceptis, animam suam pie Deo reddidit die 13 mensis Septembris anno 1944.

Serva Dei operis Altissimi fuit ministra, cum inter homines a fide longinquiores vel a religioso sensu alienos nuntii amoris Dei munere fugeretur. Caritatem Dei enim ostendebat per suam ipsam caritatem eximiam, in illo tam arduo sui temporis valetudinarii loco necnon in parte ad curandos tam singulares morbos. In testimonio eius apostolatus laicorum meritum omnino refulsit. Precatio vitam eius implebat et in simplicitatem, mansuetudinem et castitatem eam informabat. Cotidie vero Missae intererat et Communionem suscipiebat, Sanctissimi Sacramenti pietatem colebat Viamque Crucis orabat. Cunctis in rebus Virginem Mariam mirabatur, cui strenuo dilectionis et devotionis ab infantia religabatur vinculo. Omnia fecit voluntati Dei oboediendo ac confessoris spiritualisque moderatoris praeceptis. Fides sustulit eam ad officia et cotidiana munera eius peragenda. Quae peccato abhorrebat ac, per disciplinam, paenitentiam suam Domino semper obtulit. Quamvis peculiaribus donis exornaretur, summam humilitatem continenter servavit atque superbiam ulla sine intermissione per sinceram Crucis dilectionem continuit. Interius experta est certamen, quod integra fiducia et in caritatem Dei confidentia oppetivit. Pro peccatorum conversione multum intercessit ac, vivido satisfactionis proposito impulsa, ut numquam Cor Domini sui affligeret quaeritavit.

Servae Dei memoria cito circumdata est quadam ampliore virtutum signorumque fama. Itaque, initio dando die 5 mensis Novembris, anno 1996 Inquisitioni dioecesanæ apud Curiam ecclesiasticam Cracoviensem, Servae Dei incepta est Causa beatificationis et canonizationis. Cum eadem Inquisitio ad exitum die 17 mensis Aprilis, anno 2007 pervenisset, haec Congregatio de Causis Sanctorum eius iuridicam validitatem per decretum diei 22 mensis Decembris, anno 2012 agnovit. Positio inde confecta est atque die 27 mensis Februarii, anno 2018 Consultorum Historicorum examini supposita. Postea disceptatum est, consuetas secundum normas, an Serva Dei virtutes christianas heroico in gradu exercuisset. Consultores Theologi die 15 mensis Aprilis, anno 2021 affirmativum prodixerunt votum. Patres

Cardinales et Episcopi, diei 1 mensis Martii, anno 2022 Ordinaria in Sessione coadunati, Servam Dei theologales, cardinales iisque adnexas virtutes professi sunt heroico modo excoluisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Fortitudine et Temperantia iisque adnexis in gradu heroico Servae Dei Rosaliae Celak, Christifidelis laicae, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 9 mensis Aprilis a. D. 2022.

MARCELLUS Card. SEMERARO
Praefectus

L. ☩ S.

☩ FABIVS FABENE
Archiep. tit. Faliscodunensis, *a Secretis*

ROMANA

Beatificationis et Canonizationis Servae Dei Mariae Aristeae Ceccarelli Bernacchia Christifidelis laicae (1883-1971)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Spiritus adiuvat infirmitatem nostram. (...) Qui autem scrutatur corda, scit quid desideret Spiritus, quia secundum Deum postulat pro sanctis » (*Rm* 8, 26-27).

Serva Dei Maria Aristeae Ceccarelli Bernacchia a multis vera fidei et virtutum mater habita est. Vices caritate vivendo laicalemque suam vocationem ad ministerium et precationem usque perficiendo, dulcedine, zelo maternaque sedulitate filios spirituales prosequabatur atque, iis in primis qui ad sacerdotium vocarentur, evangelicae perfectionis exercitium et rationes praebuit.

Serva Dei Anconae nata est die 5 mensis Novembris anno 1883, duodecima sedecim liberorum, quorum quinque tantum vixerunt. Post mensem baptizata est, impositis Aristeae, Margaritae nominibus. Quamvis familia, persimplex pauperque genere, eius eruditionis curam et christianae institutionis minime navaret, iam ab aetate tenella se supernaturalibus rebus attrahi percepit. Quotiescumque poterat, Anconae Crucifixi ad ecclesiam adibat, ubi diu remanebat quieta. Illic aliquas didicit orationes, ut omnibus matutinis, e somno expergefata, tres "Ave Maria" posset dicere. Cum primas litteras discere cupiret, conventionem fecit quadam cum magistra denario pro singulis lectionibus solvendo. Ut hanc eandem pecuniam adipisceretur, in omnibus parcebat et opus praestabat tum apud familiae cauponam, tum in vestium promercialium officina. Die 9 mensis Octobris anno 1901 secum Iginum Bernacchia matrimonio coniunxit, quem parentes sui, ea ipsa autem haud consulta, elegerant, atque in domo socerorum se contulit. Qui vero, locuples ac religioni patenter adversantes, eam uti ancillam potius quam domesticam semper putaverunt. Insequenti anno, die vero Paschatis, Serva Dei dexteri bulbi ocularis passa est perforationem ac deinceps, quinque atrocium dolorum annis transactis, se eiusdem oculi explantationi subicere debuit. Postremum, quod aegroto oculo videre voluit, Virginis Immaculatae imago fuit in valetudinarii sacello. Ab illo tempore dolores increbrescen-

tes eam numquam deseruerunt. Cum maritus eius ad opus ferriarum facendum assumptus esset ac Romam motus, domicilium prope Portam Piam posuerunt. Serva Dei ecclesiam Corporis Domini assidue frequentare incepit, quo loco per annos spirituales aliquos cognovit moderatores, qui eam ad spiritualitatem Sancti Camilli instruxerunt pro adiuvandis egenis et aegrotantibus. Itaque omni hebdomada Serva Dei ad valetudinarium, quod "Humbertus I" appellatur, compluries ire solebat, ubi phthisici, inter quos plurimi pueri, erant recepti. Et aegrotos eorum in domibus visitabat. Praecellenti alacritate cotidiana officia in familia perficiebat, licet vir esset violentus moresque eius essent mendosi. Omnia summa patientia toleravit, precando et conscia, Domino adiuvente, maerorem suum viri conversioni profuturum esse, qui nam anno 1964 obiit cum Deo reconciliatus. Maternitatem naturalem non cognovit, sed multas animas moderari instituereque fecunditate valuit, praeter omnes Clericorum regularium Ministrantium infirmorum, qui ei precipue commissi erant a spirituale eius moderatore. Quibus dabat consilia et spirituale praebebat solacium. Altam humilitatem continenter coluit, semper demissa se non cupiebat ostentare, perdifficillime de se ipsa loquebatur atque, ut ad salutem animae eius intercederetur, petebat. Eius precatio adeo vera mystica unio erat cum Trinitate, ut ardens caritas in Deum eam praesentiae eius signa omnibus in cotidianis invenire impelleret. Illius modi clarum exemplum etiam praestitit, quo christianus dolores adversaque sincerus tolerat. Fidei, spei et caritatis mulieris ratio omnino eius naturam actusque informavit, humanas virtutes eius assumens atque perficiens.

Cum die 24 mensis Decembris anno 1971 pius eius ex hoc mundo accideret transitus, sanctitatis fama, quae eam sequebatur, non tantum minime minuit, sed increbuit quoque. Quapropter censum est Servae Dei Causam beatificationis et canonizationis incepti. Inquisitionis dioecesanae, apud Curiam ecclesiasticam Vicariatus Urbis celebratae, sessio inauguralis die 29 mensis Maii anno 1998 habita est ac ultima die 29 mensis Septembris anno 2006. Haec Congregatio de Causis Sanctorum de iuridica Inquisitionis validitate die 7 mensis Decembris anno 2007 edidit decretum. Positione confecta, disceptatum est, consuetas secundum normas, an Serva dei virtutes christianas heroico in gradu excolisset. Die 1 mensis Octobris anno 2020 Consultores Theologi suum adfirmativum votum produxerunt. Patres Cardinales et Episcopi, Ordinaria in Sessione diei 15 mensis Martii anno

2022 congregati, Servam Dei inde professi sunt theologales, cardinales iisque adnexas virtutes heroico modo exercuisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Fortitudine et Temperantia iisque adnexis in gradu heroico Servae Dei Mariae Aristeae Ceccarelli Bernacchia, Christifidelis laicae, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 9 mensis Aprilis a. D. 2022.

MARCELLUS Card. SEMERARO
Praefectus

L. ☩ S.

☩ FABIVS FABENE
Archiep. tit. Faliscodunensis, a Secretis

CRACOVIENSIS

Beatificationis et Canonizationis Servae Dei Ioannulae Woynarowska Christifidelis laicae (1923-1979)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Quotiescumque ad cuiusdam aegrotantis pedes, ut medicamentum adhibeam, vel prope lectum eius, ad iniunctionem faciendam, genibus nitor, Christi verba eiusque Apostolorum pedes lavantis spectaculum mente obtineo».

Serva Dei Ioannula Woynarowska suum bonae peritaeque aegrotorum ministrae opus haec per verba, quadam eius meditatione post mortem edita contenta, necnon suum mulieris fidem sincere colentis habitum descripsit. In ea ipsa, videlicet in virtutibus eius et definite in eius actiosa caritate, imago invenitur Christi, qui dixit: «Ut ministrarem veni, non ut ministrarer» (cfr *Mc* 10, 45).

Serva Dei orta est die 10 mensis Maii anno 1923 in loco v.d. *Piwniczna*, in Polonia. Matre eius typhi inter contagionem functa, cum breve temporis spatium in orphanotrophio transegisset, filia adoptata est a nobili divitique Casimiri Mariaeque familia Woynarowski. A parentibus adoptivis in vivendam fidem et caritatis opera exercenda est instructa. Secundi totius mundi belli annis, cum gravibus animi corporisque doloribus, quaedam laboriosa opera facere coacta est atque clandestino lycei studia agere debuit. Cum ambobus parentibus orbata esset, domum suam aegrotantium senumque hospitandorum reddidit locum. Inde intra publicum sanitatis ministerium operari optavit, quapropter anno 1945 aegrotorum ministrae adepta est diploma. Et apud Facultatem psychologiae christianaeque philosophiae Universitatis Iagellonicae Cracoviensis studuit. Moderationis muneribus quoque functa est, uti aegrotorum ministrarum moderatrix in urbis v.d. *Chrzanów* tabernis atque Sodalicio Mulierumque foederi nomen dedit. Multos per annos, Polonarum ministrarum aegrotorum Consociationis praeses, professionem exercendam iuniores docuit. Conventibus intererat, ut etiam quomodo ministerium publicum sanitatis melius fieri posset disceptaretur. Se porro tradidit operi cuiusdam adoptionum instituti, in quo, ut aptae invenirentur familiae, providebat. Ad iuvenum derelictarum matrum egenorumque ne-

cessitates apertum cor semper ostendit. Nam cuiusdam domus ad innuptas matres recipiendas confundatriciis fuit atque Caritati laboris auxilio valde adiuvit. Anno 1976 a civitate Cracoviensi aureum nummum in honorem suscepit. Opus quidem vera fuit eius vocatio ac missio. Nam fidem ac spem aegrotis tradere quaesivit, atque quoddam benevolum verbum ad eos semper habuit dirigendum. Sua vacationis tempora aegrotis obtulit, pro quibus et excursiones peregrinationesque constituere solebat. Iam a iuventute atrociores ei non defuerunt infirmitates ac dorsuales dolores, quae, quominus bona opera perseveranter gereret, numquam obstiterunt.

Omnia quae perfecit Serva Dei, sine spirituali cotidiana Eucharistiae assidueque precationis alimonia, impossibilia fuisse putabat. Per orationem Deo sua diei proposita offerebat, ut Domini adimpleret voluntatem continenter studens. Inter omnium dierum sollicitudines, a Crucifixo solacium petivit, coram quo multas per horas genibus nixa vel in crucis forma proiecta morabatur. Nomen motui Rosarii Viventis dedit. Anno autem 1961 se, nuncupatis votis, Instituto Saeculari Christi Redemptoris Hominis obstrinxit, quod anno priore erat conditum. Perpetua quidem vota professa est, Carolo Wojtyła, Archiepiscopo Cracoviensi, dein Sancto Ioanne Paulo II, adstante; quod vero tacite actum est, ob illius temporis regimen, religioni aperte adversans. Laboris praestitit auxilium intra Consilium Instituti ac Fundatorem adiuvit in Normis iterum edendis vel sive conficiendis, sive recognoscendis scriptis magni pro sociarum spiritualitate momenti. Suo studio, pietatem socialeque opus exercendo, fulgidum facta est exemplum compositionis inter fidem et opus, inter laicalem vocationem et Populi Dei aedificationem. Ideo amplius opus Synodo dioecesano praebuit, quod mense Iunio anno 1979 ad finem pervenit.

Servae Dei actiosa dies funestum in modum confecta est die 24 mensis Novembris anno 1979. Nam, cum viam, quae ab urbe v.d. *Chrzanów* ad urbem v.d. *Bochnia* fert, percurreret, raeda eius deerravit ac postremo quandam ad arborem allisit. In valetudinarium Cracoviae mota, Serva Dei paulo post adventum exspiravit.

Sanctitatis fama usque increbrescente, eius incepta est Causa beatificationis et canonizationis. A die 18 mensis Iunii anno 1999 ad diem 28 mensis Iulii anno 2000 Inquisitio dioecesana apud Curiam ecclesiasticam Cracoviensem celebrata est, cuius iuridica validitas haec Congregatio de Causis Sanctorum agnovit per decretum diei 8 mensis Februarii anno 2008.

Positione confecta, disceptatum est, consuetam secundum normam, an Serva Dei christianas virtutes heroico in gradu excoluisset. Die 28 mensis Septembris anno 2021 habitus est, fausto cum exitu, Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum. Dein Patres Cardinales et Episcopi die 3 mensis Maii anno 2022, Ordinaria Sessione occurrente, Servam Dei professi sunt theologales, cardinales iisque adnexas virtutes heroico more exercuisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Fortitudine et Temperantia iisque adnexis in gradu heroico Servae Dei Ioannulae Woynarowska, Christifidelis laicae, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 21 mensis Maii a. D. 2022.

MARCELLUS Card. SEMERARO
Praefectus

L. ☩ S.

☩ FABIVS FABENE
Archiep. tit. Faliscodunensis, *a Secretis*

MATRITENSIS

Beatificationis et Canonizationis Servae Dei Mariae Annae a Sanctissima Trinitate (in saeculo: Mariae Annae Allsopp González-Manrique), Confundatricis Congregationis Sororum a Sanctissima Trinitate (1854-1933)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Studeamus ut virtutes, altam humilitatem, sinceram caritatem, nostri oblationem perpetuam, ardens pro animarum salute zelum adipiscamur, atque in omnibus Dei quaeramus gloriam».

His verbis Sorores a Sanctissima Trinitate adhortans, Serva Dei Maria Anna a Sanctissima Trinitate (in saeculo: Maria Anna Allsopp González-Manrique) suae vocationis et missionis altitudinem patefecit. Nam ardentiore in Unum Trinumque Dominum caritate impulsa, vividam eius sollicitudinis erga humanitatem sauciatam et inopem imaginem se ipsam praebuit, atque idipsum sentire illis religiosis tradidit, cuius Congregationis confundatrix fuit.

Serva Dei nata est die 24 mensis Novembris, anno 1954 Tepici, in Mexico. Quam, matre orbatam, et quattuor fratres eius pater in Hispaniam, apud avos ex matre, mittere statuit. Cum in Collegio Sanctae Isabellae Matrity institueretur, partem iuventutis suae operae caritatis exercendae dedit in uno ex Consiliis Mulierum, illo tempore opus paroeciarum ad societatem promovendam coniuncte ac ordinate moderantium. Se religiosarum vita attrahi percepit, sed nullum notum institutum proposito suo par iudicavit. Anno autem 1882 Venerabilem Servum Dei Franciscum Assisii Méndez Casariego cognovit, una quocum prima futurae Congregationis Sororum a Sanctissima Trinitate lineamenta descripsit. Vita instituti, qui vero a principio statutum societatis beneficia agentis simpliciter assumpsit, die 2 mensis Februarii anno 1885 habuit initium. Peculiaris novarum religiosarum missio mulierum illius temporis difficultatibus fuit subvenire, quae saepenumero a societate excludebantur vel ad rerum morumve miseriam cogebantur. Primae iuvenes iam receptae sunt decem diebus post domus institutionem. Ab illo tempore non tantum opus magnopere increbuit, sed etiam vocationum auctus est numerus. Ad ampliora usque loca adhibenda, institutum bis sedem mutavit. Denique inventum est in Matrity suburbio cuiusdam pristinae fabricae aedificium, quod restitutum hospicio centum circiter Sorores et quadraginta

mulieres excipere valuit. Beatus Cyriacus Maria Sancha y Hervás, Episcopus Matritensis ac postea Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis, anno 1888 Congregationis normas approbavit atque Servam Dei primasque socias eius ad vestitionem admisit. Die 26 mensis Maii anno 1907 Serva Dei perpetua nuncupavit vota. Generalis fuit Antistita usque ad mortem, spirituale religiosarum incrementum ac apostolatam, Fundatore plane consentiente, curans. Erga Ecclesiae Pastorum praecepta, sive de operibus gerendis ac de definitiva normarum adprobatione, sive novis de domibus condendis, rectum animum servavit. Nam vero Institutum non in Hispaniam tantum redundavit, sed etiam in Mexicum et Argentinam. Die 15 mensis Martii anno 1933 Serva Dei pietate obiit. Annum octavum et septuagesimum aetatis ac octavum et quadragesimum vitae religiosae impleverat.

Serva Dei suam consecrationis vitam penitus amavit ac Sacramenta suscipienda percoluit, spirituale moderamen, fiduciam in Divinam Providentiam necnon pro bono proximi zelum. Interioris eius vitae fundamentum constans fuit precatio, in qua vero praecellentem sinceritatem et apertum animum ostendebat. Tenera devotione Sanctissimum Sacramentum adorabat atque Virginem Boni Consilii valde dilexit, quam frequentes per orationes usque ad extremum vitae invocavit. Omnes vires pro Congregatione impendit summa sedulitate et diligentia. Eximiam caritatem Sororibus suis praestitit necnon mulieribus in domibus instituti receptis. Cum plurima inter negotia versaretur, numquam neglexit valetudinarium visitare, ut iuvenes adiuandas inveniret, ne nec minus cotidiana quidem officia, humiliora quoque, facere. Quam testes se narrant numquam abiectam, numquam imprudentem vel festinabundam, numquam indiligentem, numquam suo commodo impulsam, vidisse. Summa animi fortitudine ac perseverantia se mulieribus defendendis omnino tradidit atque, ut dignitas earum agnosceretur et promoveretur, operam navavit. Superbiam repellere valuit, morum sobrietate dimissoque aspectu suam revelans tam interiorem, quam exteriorem humilitatem. Propter pietatem et industriam, necnon haud communes virtutes, et totam per vitam, et post mortem, circumdata est sanctitatis fama.

Ideo a die 23 mensis Aprilis anno 2000 ad diem 5 mensis Maii eodem anno Inquisitio dioecesana celebrata est apud Curiam ecclesiasticam Matritensem. Cuius iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum agnita est per diei 1 mensis Decembris anno 2000 decretum. Positio exarata Consultorum Historicorum examini subiecta est die 20 mensis Maii anno

2014. Inde disceptatum est, iuxta consuetudinem, an Serva Dei christianas virtutes heroico in gradu exercuisset. Die 16 mensis Februarii anno 2021 Consultores Theologi asseverans produxere votum. Die 3 mensis Maii anno 2022 Patres Cardinales et Episcopi, Ordinaria Sessione coadunati, professi sunt Servam Dei heroum in modum theologales, cardinales iisque adnexas virtutes excoluisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Fortitudine et Temperantia iisque adnexis in gradu heroico Servae Dei Mariae Annae a Sanctissima Trinitate (in saeculo: Mariae Annae Allsopp González-Manrique), Confundatricis Congregationis Sororum a Sanctissima Trinitate, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 21 mensis Maii a. D. 2022.

MARCELLUS Card. SEMERARO
Praefectus

L. ☒ S.

☒ FABIVS FABENE
Archiep. tit. Faliscodunensis, *a Secretis*

ACTA DICASTERIORUM

DICASTERIUM PRO EVANGELIZATIONE

I. PROVISIO ECCLESiarUM

Franciscus, divina Providentia PP., latis decretis a Dicastrio pro Evangelizatione, singulis quae sequuntur Ecclesiis sacros Pastores dignatus est assignare. Nimirum per Apostolicas sub plumbo Litteras praefecit:

die 26 Ianuarii 2023. — Episcopali Ecclesiae Viavsensi R.D. Samuellem Nkuah-Boateng, e clero eiusdem dioecesis, hactenus Administratorem Ecclesiae Cathedralis.

die 28 Ianuarii. — Vicariatus Apostolico Arabiae Septemprionalis R.P. Aldum Berardi, O.S.S.T., hactenus Vicarium Generalem et Praesidem Secretariatus Generalis Institutionis Ordinis Sanctissimae Trinitatis et Captivorum.

die 30 Ianuarii. — Episcopali Ecclesiae Badullanae R.D. Echechampulle Arachchige Iudam Nishanta Silva, e clero eiusdem dioecesis, ibi hactenus Vicarium Generalem atque Cancellarium.

die 4 Februarii. — Episcopali Ecclesiae Buxarensi R.D. Iacobum Shekhar, e clero archidioecesis Patnensis, hactenus Vice-Secretarium Consilii «Bihar, Jharkhand and Andaman».

— Episcopali Ecclesiae Nongstoinensi R.D. Vilbertum Marwein, e clero eiusdem dioecesis, ibi hactenus Vicarium Generalem et Parochum.

die 7 Februarii. — Archiepiscopali Ecclesiae Tingitanae R.P. Aemilium Rocha Grande, O.F.M., hactenus Administratorem Apostolicum «Sede vacante et ad nutum Sanctae Sedis» eiusdem archidioecesis.

die 11 Februarii. — Episcopali Ecclesiae Makenensi R.D. Robertum Ioannem Hassan Koroma, e clero eiusdem dioecesis, hactenus Vicarium Generalem atque Administratorem Ecclesiae Cathedralis.

die 12 Februarii 2023. — Episcopali Ecclesiae Aguleriensi, noviter conditae in Nigeria, Exc.mum P.D. Dionysium Chidi Isizoh, hactenus Episcopum Auxiliarem archidioecesis Onitshanae.

die 14 Februarii. — Titulari Episcopali Ecclesiae Fesseitanae R.D. Ioannem Kobina Louis, e clero Accraënsi, hactenus ibidem Vicarium Generalem, quem constituit Auxiliarem eiusdem archidioecesis.

— Titulari Episcopali Ecclesiae Castelli in Numidia R.D. Antonium Narh Asare, e clero archidioecesis Accraënsis, hactenus Curionem paroechiae «Ss. Annae et Ioachimi», quem constituit Auxiliarem eiusdem archidioecesis.

die 15 Februarii. — Episcopali Ecclesiae Nakurensi R.D. Cleopham Oseso Tuka, hactenus Vicarium Generalem eiusdem dioecesis.

— Episcopali Ecclesiae Isiolanae, noviter conditae, Exc.mum P.D. Antonium Ireri Mukobo, I.M.C., hactenus Episcopum titularem Rusguniensem et Vicarium Apostolicum praedicti olim Vicariatus Apostolici.

die 20 Februarii. — Episcopali Ecclesiae Kibungensi R.D. Ioannem-Mariam Vianney Twagirayezu, e clero Nyundoënsi, hactenus Secretarium Generalem «Caritatis Internationalis» in eadem Natione.

die 1 Martii. — Titulari Episcopali Ecclesiae Oescensi R.D. Tonito Franciscum Xaverium Muananoua, hactenus Vicarium Generalem Guruensem atque Parochum Cathedralis, quem constituit Auxiliarem archidioecesis Maputensis.

die 4 Martii. — Episcopali Ecclesiae Lokossaënsi R.D. Coffi Rogerum Anoumou, e clero eiusdem dioecesis, hactenus Rectorem Seminarii Maioris «Sancti Pauli».

die 9 Martii. — Titulari Episcopali Ecclesiae Rutabensi R.D. Eliam Kwenzakufani Zondi, hactenus Vicarium Generalem Durbanianum atque Parochum, quem constituit Auxiliarem archidioecesis Durbanianae.

die 10 Martii. — Episcopali Ecclesiae Truxillensi in Honduria R.D. Henricum Rolandum Ruiz Mora, e clero Iuticalpensi, ibi hactenus Parochum atque Vicarium Episcopalem pro Pastoralis et pro Clero.

die 20 Martii 2023. — Vicariatui Apostolico Ingvavumensi R.P. Vusu-muzi Franciscum Mazibuko, O.M.I., hactenus Curionem paroeciae «Sanctae Mariae» in civitate v.d. Pietermaritzburg.

die 25 Martii. — Episcopali Ecclesiae de Phat Diem R.D. Petrum Kieu Cong Tung, e clero Hochiminhopolitano, ibi hactenus Cancellarium.

— Episcopali Ecclesiae Hatinhensi Exc.mum P.D. Aloisium Nguyen Anh Tuan, hactenus Episcopum Auxiliarem archidioecesis Hochiminhopolitanae.

— Episcopali Ecclesiae Canthoënsi R.D. Petrum Le Tan Loi, e clero eiusdem dioecesis et hactenus Docentem ac Decanum studiorum Seminarii Maioris Canthoënsis, quem constituit Episcopum Coadiutorem.

— Episcopali Ecclesiae Poonensi Exc.mum P.D. Ioannem Rodrigues, hactenus Episcopum Auxiliarem archidioecesis Bombayensis.

die 29 Martii. — Episcopali Ecclesiae Loikavensi R.D. Celsum Ba Shwe, e clero eiusdem dioecesis et hactenus ibidem Administratorem dioecesanum.

die 30 Martii. — Titulari Episcopali Ecclesiae Legiensi R.D. Ioachimum Walder, e clero Aizavlensi, hactenus ibidem Vicarium Episcopalem pro v.d. «Barak Valley Region», quem constituit Auxiliarem eiusdem Sedis.

— Vicariatui Apostolico Portus Carreniensis R.P. Alvarum Mon Pérez, C.Ss.R., hactenus Cappellanum Collegii Seminarii «Sancti Clementis» in Manizales.

die 3 Aprilis. — Episcopali Ecclesiae Imae Telluris et Petrirostrensis R.D. Philippum Guiougou, e clero Sancti Dionysii in Francia, ibi hactenus Vicarium Generalem ac Moderatorem Unitatis Pastoralis «Saint Denis et Ille Saint Denis».

die 13 Aprilis. — Metropolitanæ Ecclesiae Taboraënsi Exc.mum P.D. Protasium Rugambwa Prosper Iholana, hactenus Archiepiscopum-Episcopum emeritum Kigomaënsem atque iam Secretarium Dicasterii pro Evangelizatione, quem constituit Archiepiscopum Coadiutorem Taboraënsem.

die 22 Aprilis. — Episcopali Ecclesiae Iaipurensi R.D. Iosephum Kallarackal, e clero Aimerensi et ibi hactenus Parochum Ecclesiae Cathedralis «Immaculatae Conceptionis».

die 26 Aprilis 2023. — Episcopali Ecclesiae Baucanae R.D. Leandrum Mariam Alves, e clero Diliensi, hactenus ibidem Parochum Ecclesiae Cathedralis atque Secretarium executivum Conferentiae Episcopalis Timorensis.

die 29 Aprilis. — Episcopali Ecclesiae Casanae-Luveerinae R.D. Laurentium Mukasa, hactenus Vicarium Generalem dioecesis Kiyindaënsis-Mityanaënsis.

die 1 Maii. — Titulari Episcopali Ecclesiae Gurzensi R.D. Christophorum Naseri Naeseri, e clero Calabarensi, hactenus Vicarium Paroecialem in paroecia «S. Bernardi», quem constituit Auxiliarem eiusdem Sedis.

— Episcopali Ecclesiae Nhatrangensi R.D. Iosephum Huynh Van Sy, e clero Quinhonensi, hactenus Rectorem Instituti Superioris «S. Ioseph» in dioecesi Quinhonensi.

die 2 Maii. — Episcopali Ecclesiae Kabgayensi R.D. Balthasarem Ntivuguruzwa, e clero Kabgayensi, hactenus Rectorem Instituti Superioris Chatolici eiusdem dioecesis.

die 3 Maii. — Episcopali Ecclesiae Tainanensi R.P. Ioannem Baptistam Huang Min-Cheng, O.F.M, hactenus Directorem Spiritualem Centri spiritualitatis franciscanae et Parochum in dioecesi Hsinchuensi.

